

**www.e-rara.ch**

**Gasparis Schotti ... schola steganographica, in classes octo distributa,  
quibus, praeter alia multa, ... explicantur artificia nova ...**

**Schott, Kaspar**

**Norimbergae, 1680**

**ETH-Bibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-12633>

Classis tertia, in qua explicatur artificium secundum Athanasii Kircherii [...].

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

# CLASSIS TERTIA,

*In qua explicatur*

ARTIFICIUM SECUNDUM ATHANA-  
fii Kircheri, sive Arcanum Steganographicum univer-  
sale combinativum rerum, quo mille penè modis alter alteri,  
arte humano ingenio impenetrabili, arcana mentis sensa mani-  
festare potest; ac præterea quivis, etiam linguarum imperi-  
tus, sub qualibet lingua animi sui conceptus patefa-  
cere alteri ejusdem Artificii conscio.



*Inventum antiquum est, mentis arca-  
na sub varia litterarum Alphabetari-  
arum metathesi sive transpositione ab-  
scondere, scribendo B pro A, C pro B,  
D pro C, aut aliam quamcunque litte-  
ram pro quavis alia assumendo. Hoc artificio usus  
olim fuit Cesar Augustus, aliiq; Romanorum nobi-  
lissimi, ut ex Gellio retulimus in *Magia Cryptogra-  
phica Syntagm. 1. cap. 1. §. 4.* Idem artificio excoluit,  
& fusè exposuit Joannes Trithemius *lib. 5. Polygra-  
phia*, aliiq; qui *Steganographias* scripsere: & nos in  
*citata Magia Cryptographica, seu lib. 1. Partis 4.*  
*Magia univers. Syntagm. 4.* Omnium autem fusis-*

Kircheriana  
steganographia  
secunda.

simè & ingeniosissimè novo modo de illo eodem scribit recenter, qua multis annis ante conceperat, & privatim docuerat varios Principes ac Magnates, P. Athanasius Kircherus in sua Polygraphia nova toto Syntagmate 3. ubi in primo statim limine ait, magnum se arcanum expositurum, quod omnia Steganographia hucusq; cognita mysteria, aliorumq; que in metathetica combinatione consistunt secretorum abditas inventiones in se contineat, ideoq; dignissimum sit, quod omnibus ad innumeros alios abditarum combinationum recessus aperiendos communicetur. Quoniam igitur sine hujus Artificii cognitione intelligi atque explicari nequit Artificium ejusdem Auctoris novum nondum editum, quod sequenti Classe 4. ipso Auctore jubente exponam; necessarium est, ut & hoc breviter declarem. Quod ita faciam, ut novum videri queat, quoniam ubique interferam non pauca que inter legendum occurrere. Accedit quòd methodus occultè & sine ulla ferè secreti latentis suspitione scribendi, quam loco proximè citato fusè tradidi, in substantia non sit diversa à præcipua praxi quam P. Kircherus citato Syntagmate 3. exponit, uti ex sequentibus patebit: quod enim ibi docui faciendum per Abacum numeralem, hoc ipse facit non minùs jucundè ac facile, quàm ingeniosè, primò per Tabulam steganographicam inte-



# ABACUS NUMERALIS.

Pag. 77.

## Alphabetum frontale.

Alphabetum laterale.

	A	B	C	D	E	F	G	H	I	K	L	M	N	O	P	Q	R	S	T	V	X	Y	Z	w
A	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
B	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1
C	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2
D	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3
E	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4
F	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5
G	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6
H	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7
I	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8
K	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9
L	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
M	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
N	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
O	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
P	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
Q	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
R	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
S	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17
T	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
V	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
X	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Y	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21
Z	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22
w	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23

*Ad Bibliopegum.*

Hæc pars vacua non abscindatur, sed totum semifolium ita inseratur libro, ut tabula respiciat paginam dexteram.

*An den Buchbinder.*

Dieser leere Theil soll nicht abgeschnitten / sondern der halbe Bogen also in das Buch geheftet werden / damit die Tafel gegen der rechten Columna des Buchs stehe.

1848

The first year was the best  
from the historical point of view  
in regard to the general  
state of the country.

The second year

was not so good as the first  
year, but still very good  
in regard to the general  
state of the country.

gram seu indiffectam, deinde per eandem diffectam in varias columnas, seu tabellas, intra Cistam seu Arcam steganographicam recoditas, ac variè inter operandum combinandas. Quod ut verum esse videat Lector, ante omnia dictam in Magia nostra praxin hic reponere placuit, in eorum gratiam, qui dicto Opere nostro carent: præsertim cum nunc modus occurrat reddendi Epistolam artificio illo scriptam, ab omni latentis secreti suspitione immunem; qui modus ibidem mihi in mentem nõ venerat. Sed nunc ad rem.

## CAPUT I.

## De Cryptographia per Abacum Numeralem.

**M**ethodum occultè & sine ulla ferè secreti latentis suspitione scribendi, traditã in Magia nostra Cryptographica, ut paulò antè meminimus, appellavimus ibidè Cryptographiam Grammatico-Arithmetica (quia fit per litteras & numeros) sive, Novum arcanissimum, ingeniosissimumq; Artificium, occultos animi cõceptus regendi sub verbis & signis quibuscunq; opè Abaci numeralis, & duplicis Alphabeti. Addidimus, illius subsidio posse scribi occultè ad amicum absentem, ejusdemq; Artificii conscium, quodcunq; secretum, quacunq; linguã, etiã amico prorsus ignotã, imò ne ipsi quidem scribenti cognitã. Nec necesse esse, exarare in charta amico transmittenda secretum quod ipsi communicandũ est, sed sufficere ut scribatur in aliqua chartã quã Cryptographus vel apud se retinere, vel dilacerare possit: in charta verò quæ amico transmittitur, scribi posse quidvis aliud etiã toto cœlo diversum à secreto comunicando, & quod à quovis, si litteræ forassis intercipientur, legi & intelligi sine cujusquam damno potest: percipietur enim litterarum sensus, secretum tamè sub illis latens minime, nec ulla prorsus, aut ferè nulla suspicio legenti suborietur secreti sub scriptis verbis latentis. Addam nunc modum facillimum, omnem prorsus suspicandi umbram ab intercipiente Epistolã avertendi.

§. I. Requisita ad Cryptographiam per  
Abacum Numeralem.

Quatuor requirit P. Kircherus ad hoc Steganographicum Artificium, Abacum numeralem, Clavem Cryptographicam, Secretum amico manifestandum, & Epistolam seu discursum familiarem de quacunque re institutum.

Vide Abacum Numeralem.

Abacus numeralis est Tabula duo habens Alphabetum frontale & laterale, & varios numeros litteris Alphabeti respondentes, ut apparet in hic appposito Schemate. Necesse autem est, ut & scribens, & legens habeant Abacum eodem prorsus modo dispositum.

Clavis Cryptographica (quæ semper frontale Alphabetum respicit, ut dicitur) est sententia quæpiam quacunque lingua proposita, & Epistolæ ad amicum scribendæ fronti semper apponi debet, ut P. Kircherus præcipit: vel potius (& melius est) separatim servari cum ab illo qui scribit, cum ab illo cui scribitur, ut postea dicitur. Imò penitus omitti potest, ut postea quoque explicabo.

Secretum, seu occultus conceptus est, quem amico in dicamus, & Steganographico hoc Artificio ita involvimus sub Epistola quæpiam de re alia quavis scripta, & ad ipsum loco secreti missa, ut intelligi nisi à conscio Artificii nequeat.

Epistola denique, seu discursus familiaris (qui laterale Alphabetum respicit) est, quem loco secreti ad amicū absentem scribimus, & sub eo secretum ita involvimus, ut nisi ab ipso intelligi nequeat. Hæc autem Epistola vel propriâ compositione formari à scribente potest quacunque lingua, vel ex quolibet libro Latino, Gallico, Hispanico, Germanico, &c. excerpti, dummodò idioma quo scriptus est liber, utatur iis litteris, quæ in utroque Alphabeto Abaci numeralis dispositæ sunt. Debet autem hæc discursus, aut Epistola hæc pro conceptus occulti longitudine esse longus. Si breve est secretum, seu paucis litteris conceptum; & brevis, & longa esse potest Epistola, perinde est, ut ex dicendis patebit.

Sed quomodo hæc quatuor ad Steganographicū Artificium, de quo agimus, requirantur, atque concurrant, exemplo ab ipso

Artificii

Artificii Auctore in sua ad Principes Instructione adhiberi solito ostendamus:

§. II. Scriptio Cryptographica per Abacum  
Numeralem.

**S**int exempli gratiâ hæc verba, *State cauti, cras horâ decimâ noctis venient hostes, ut invadant urbem ex parte orientalis plagæ;* Principi alicui, aut urbis Gubernatori secretò scribenda, obvolvendo & occultando illa sub Epistola quadam, aut Discursu quolibet, quâlibet linguâ scripto, ut nemo qui Epistolam aut Discursum legit, secretum intelligat, ac ne suspicionem quidem de illo latente concipiat. Sic operari.

*Primò*, in charta aliqua separata, aut in tabula, scribe secretum ante dictum, quod amico manifestare cupis; & ante re colloca.

*Secundò*, in capite chartæ, in qua Epistolam amico transmittendam scripturus es, exarsententiam aliquam, quæ non paucioribus consistet litteris quàm secretum, ver. gr. hæc: *Omnia sunt hominum tenui pendencia filo, & subito casu quæ valere, ruunt;* aut quamcunque aliam. Potest tamen, ut postea dicitur, pauciores habere litteras sententia, quàm secretum.

*Tertiò*, formâ Epistolam (aut Discursum) de quacunque materia, & quacunque linguâ, eam quæ post sententiam in eadem charta scribe modo quo aliàs Epistolæ scribi solent. Sic exempli gratiâ hæc Epistola seu Discursus: *Quanta sit rerum humanarum inconstantia, & vicissitudo, dilectissime Valeriane, sat superq; demonstrant quotidiani multorum casus, varia fortune sortes, & calamitatum concatenata quedam succenturiatio. Alii fortune aleâ in transversum acti, ex summis ad ima deturbantur: alii ex fortuna faventis lapsu contrâ ex imis ad summa quævis, ut casu graviore ruant, pertingunt: nonnulli divitiis, honoribus, & gloriâ dum insolentius superbiunt, ad penuriam, contemptum, & infamiam præcipitati, miseram trahunt vitam; quidam contrâ ex sordibus extracti, ad summa quævis sibi aditum pollicentur. Quæ res tantopere nonnullorum animos vexavit, ut providentiam rebus humanis superiorem negare non sint verecundati. Sed meministi, fortunam volubili insistentem globo, vires mortalium versare, sunt hæc è divina providentiâ occultis de-*  
prompta

*prompta latibulis, sine quibus ne mundum quidem diu durare posse certo tibi persuadeas. Verum de his pluribus opportuniori tempore; nunc ad consolationem hac pauca sufficiant. Vale, & me ama.*

Quarto, sub hujus Latinæ Epistolæ sive Discursus cortice occultum conceptum supra positum, hoc pacto abscondes. Accipe ex frontalis Alphabeti litteris, quas pro Clave inservire diximus, primam Clavis seu sententiæ propositæ litteram, quæ est O; conceptus verò occulti steganographici primâ litteram, quæ est S, accipe ex lateralis Alphabeti litteris; & vide, si ab O deorsum, & ab S dextrorsum procedas, quis numerus occurrat in communi angulo columnæ perpendicularis O, & columnæ transversæ S; & invenes 7. Numera itaque à principio Epistolæ seu Discursus descripti septem litteras, & sub ultima seu septima littera, quæ est S, fac notam aliquam, imprimendo subtiliter punctum, aut virgulam, ut vides infra factum. His peractis, accipe litteram sequentem tam ex Clave, quàm ex conceptu steganographico, quæ in illa est m, in hoc t; & in Alphabeto frontali quære M, in laterali T, atque ut prius ab M descende deorsum, à T perge dextrorsum, & observa numerum in angulo communi Abaci occurrentem, nempe 6: ab ultimo itaque Epistolæ seu Discursus relicto puncto exclusivè numera sex alias litteras, & sub sexta littera, quæ est n, imprime punctum, vel virgulam. His etiam peractis, procede ad binas alias litteras, tam in Clave, quàm in Secreto seu conceptu steganographico immediatè sequentes, quæ sunt n & a; & investiga in Abaco numerum in angulo communi dictarum litterarum latentem, qui erit 13, numera itaque in Epistola ab ultimo puncto exclusivè tredecim alias litteras, & ibi fac punctum aut virgulam ut antea. Iterum ex sententia quæ Clavem refert, uti & ex conceptu steganographico, litteram unam accipe, quæ erit in Clave i, in conceptu t; & inquire in Abaco latentem in angulo communi numerum dictis litteris correspondentem, qui erit 3: computa itaque ab ultimo puncto paulò antè in Epistola impresso litteras tres, & ibi fac punctum aut virgulam. Deinde accipe quintam tam ex Clave, quàm ex conceptu steganographico litteram, quæ sunt n & e; & angulus communis Abaci dabit

dabit numerum 5: totidem ergo litteras in Epistola numeras à precedente immediatè puncto, & sub quinta littera fac similiter punctum, aut virgulam. Et sic procedes usque dum omnia puncta in Epistola designaveris, tot nimirum, quot litteras continet conceptus steganographicus. Sic ergo stabunt puncta in Epistola seu Discursu. *Quanta sit rerum humanarum inconstantia & vicissitudo, dilectissime Valeri, &c. & sic de cæteris.*

### §. III. Lectio scriptionis per Abacum Numeralem.

**H**Anc Epistolam sibi transmissam a micus aperiens, statim videbit Clavem cryptographicam ipsi præfixam, *Omnia sunt hominum &c.* ac deinde Epistolam ipsam punctis suis distinctam; unde & ope Clavis, & similis Abaci numeralis, in arcani sub ea latentis cognitionem sic deveniet.

*Primo*, quærat in frontali Alphabeto primam litteram Clavis, nempe O; deinde numeret quot in Epistola litteras primum punctum contineat, seu sub quota littera notatum sit primum punctum, aut virgula; & inveniet esse sub septima littera: numerum ergo 7, quærat intra illam Abaci numeralis columnam, cui littera O præfigitur, deorsum descendendo: quo invento, videat quæ littera ei in laterali Alphabeto respondeat ad sinistram; & inveniet S: scribat itaque S seorsim pro prima littera Secreti steganographici, quod scire cupit.

*Secundo*, accipiat secundam litteram Clavis, quæ est m, & videat, quot in Epistola secundum punctum à priori exclusivè includat litteras; & inveniet 6. hunc numerum quærat intra columnam M frontalis Alphabeti; & lateralis Alphabeti littera ad sinistram ei correspondens erit t; quam seorsim antea positæ apponat.

*Tertio*, quærat in Alphabeto frontali tertiam litteram Clavis, quæ est n; & videat quot litteras tertium à præcedente punctum includat; & inveniet 13; hunc numerum quærat intra columnam N frontalis Alphabeti: in laterali ei correspondens, nempe A,  
L erit

erit littera tertia secreti quæ quæritur, quam seorsim cum duobus præcedentibus scribat.

*Quartò*, in frontali Alphabeto quærat quartam litteram Clavis, quæ est *i*; & videat, quot litteras punctum in Epistola à præcedente quartum includat; & inveniet 3: quem numerum quærat intra columnam I frontalis Alphabeti, descendendo; & lateralis Alphabeti littera ei respondens, nempe *t*, erit quarta littera Secreti; quam apponet seorsim sepositis litteris.

*Quintò*, quærat in Alphabeto frontali quintam litteram Clavis, quæ est *a*; & pariter videat, quot litteras quintum punctum in Epistola includat; & inveniet 5: hunc igitur numerum quærat in columna A frontalis Alphabeti descendendo deorsum, & littera Alphabeti lateralis ei correspondens, videlicet E, est littera quæ sita; quam reliquis seorsim positis apponet.

Hisce factis, si litteras hæctenus inventas, & seorsim positas, componat in vocem, habebit primum Secreti vocabulum, *state*, quod primo Clavis vocabulo, *Omnia*, responderet.

Haud secus in reliquis vocabulis occulti Conceptus, seu Secreti Steganographici investigandis procedet, usque dum totum negotium confecerit, hoc est, omnia Epistolæ puncta, & omnia Clavis verba & litteras percurrerit; & habebit totum Secretum transmissum sibi revelatum.

#### §. IV. Annotationes in Artificium Steganographicum hæctenus explicatum.

**N**otandum est I. Melius esse, si Clavis seu sententia Steganographica non scribatur in ipsa Epistola quæ amico mittitur, sed habeatur jam antea in charta separata, tam à scribente, quam ab illo cui scribitur; alioquin interceptâ Epistolâ statim suspicio suboritur latentis secreti. Itaque vel discedenti amico tradi potest sententia aliqua pro Clavi, vel antea ad ipsum in alia Epistola transmitti.

*Notandum est II.* Si Clavis non tot præcisè litteras haberet, quot habet Conceptus Steganographicus, seu Secretum quod indicatur absenti: poterit Steganographus, finitâ sententiâ Clavis,

vis, ordiri operationum suarum residuum iterum à principio Sententia. Hoc autem sciet amicus Epistolam legens, si videat plura sub Epistolæ litteris notata esse puncta, quàm sententia Clavis continet litteras.

*Notandum est III.* Si Sententia quapiam tot habuerit litteras, quot Conceptus Steganographicus seu Secretum, aut etiam plures; tunc verificabitur illud quod tantopere aliqui mirantur, sensum videlicet quemcunque, & quâcunque linguâ scriptum, sub quolibet Conceptu Steganographico ita concinnari posse, ut littera litterâ perfectè respondeat: Verbi gratiâ, sub hisce tribus vocabulis, *Vir est optimus*, contrario sensu posse poni, *Vir est pessimus*; fiet enim hoc tunc, si hæc verba, *Vir est optimus*, pro Clavi serviant; & hæc verba, *Vir est pessimus*, pro Conceptu Steganographico, & in reliquis procedatur, scriptâ qualibet Epistolâ, juxta modum paulò antè explicatum. Imò si singula Conceptus Steganographici verba tot præcisè litteras continent, quot singula verba Clavis; verificatur etiam id quod dicit Trithemius in Polygraphia fol. 64. posse nimirum dictionem dictioni respondere. Verba Trithemii sunt; *In Steganographia autem locupletiores sunt modi secretissimè & sine aliqua suspitione scribendi, ubi non dictio litterarum, sed quæque aliam integram ad mysterium convenientem repræsentat dictionem. Cujus rei ponamus exemplum, ut si velis præmonere amicum de aliquo imminente periculo sub tali narratione verborum: Conspirârunt in necem tuam Melancius, Tiberius, Joannes, & Petrus famuli Comitum de Asoto, &c. Hoc Secretum Steganographia sic palliat: Oro te amice carissime, ut mutuò mihi transmittas decem florenos cum latore præsentium, &c. Quis hoc arcanum crederet aut suspicaretur latere in sermone prædicto?* Plura in hunc sensum lege apud Trithemium.

*Notandum est IV.* Non esse necessarium adhibere Clavem Steganographicam ab Epistola scripta distinctam, sed ipsam Epistolam de quacunque re compositam posse servire loco Clavis; si nimirum prima littera Epistolæ quaratur in Alphabeto frontali Abaci Numeralis, & prima littera Secreti in Alphabeto laterali, noteturq; numerus qui occurrit in comuni quadrangulo con-

curfus, si à littera frontali deorsum, à laterali dexterorsum procedatur, & reliqua fiant ut antea. Idem intellige de secunda, tertia, &c. litteris Epistolæ & Secreti. Et hoc, meo iudicio, multò melius, compendiosius, & à suspitione remotius est.

*Notandum est V.* Hoc artificium Steganographicum esse omnino universale, & ferè infinitum, nec ad unam tantum Linguam restringi, sed omnibus in universo Mundo Linguis applicari posse. Nam si in fronte & latere Abaci Numeralis ponantur litteræ Alphabeti Latini, ut in superiori schemate factum est; scribere poteris Clavem, Secretum, & Epistolam omnibus illis Linguis, quæ dictis utuntur litteris, aut illis non multum absimilibus, cujusmodi sunt, præter Latinam, Italica, Gallica, Hispanica, Germanica, Belgica, Anglica, Polonica, Hungarica, & multæ aliæ. Imò unâ Linguâ scribere poteris Clavem, aliâ Secretum, aliâ Epistolam. Nec est necesse, ut Steganographus, aut amicus cui scribitur, intelligat Linguam in qua scribitur Epistola, ut supra dicebam, sed sufficit ut uterque intelligat Linguam quâ scribitur Secretum in separata charta. Imò etiam si Steganographus non intelligat Linguam amici absentis cui scribit, dummodò amicus intelligat Steganographi Linguam quâ Secretum concepit, aut in separata charta scripsit; poterit adhuc illi scribere, & secretum ipsi communicare sub qua vult Lingua.

#### §. V. Aliæ Annotationes in idem Artificium.

*Notandum VI.* Loco Epistolæ quæ amico absentis transmittitur, possunt scribi numeri, characteres quicunque, & quæcunque signa, ut sunt signa Zodiaci & Planetarum, notæ seu characteres Chimistarum, Hieroglyphica, & quævis alia, dummodò distinctè omnia ponantur, & unum signum ab alio distinguatur, ut cognosci possit, quodnam sit primum, quod secundum, tertium, &c. Sed tunc adhibenda est Clavis, & Secretum præstat scribi litteris ejusdem Alphabeti, cujus litteris scripta est Clavis: quamvis hoc non sit omnino necessarium. Potest præterea Epistola scribi qualibuscunque & quomodocunque forma-

tis abbreviaturis, ut vocant, dummodo discerni possit una littera ab alia, aut unum signum ab alio. Eadem Epistola scribi potest lingua aliqua ficta, quæ nec à scribente, nec à legente intelligatur.

*Notandum VII.* Etiam si puncta notari possint etiam supra litteras Epistolæ, melius tamen esse ut infra notentur, ne fiat confusio propter litteras aliquas quæ in Linguis aliquibus notantur punctis suprapositis ut est apud Latinos, & apud Germanos.

*Notandum VIII.* Duos debere fieri Abacos numerales omnino similes, unum pro Steganographo qui scribit, alterum pro amico absente qui legit Epistolam. Non est necesse ut disponantur eo modo, quo nos eum disposuimus, sed possunt tam litteræ utriusque Alphabeti, quam numeri, variè inter se misceri, & innumerabilibus modis mutari, dummodo in utroque servetur uniformitas. Quare qui multis secretis scribere cupit, potest pro uno disponere Abacos uno modo, pro aliis alio. Sed ipse omnium exemplar apud se retineat, & notet quod pro quovis adhibendum sit, ne inter scribendum ad unum utatur exemplari alterius.

*Notandum IX.* Epistolam continuari debere eò usque, ut sub ejus litteris tot notari possint puncta, quot litteras continet Secretum. Idem intelligendum est, si loco Epistolæ adhibeantur numeri, aut signa.

*Notandum X.* Ut breviori Epistolâ Secretum scribi & indicari queat, expedit aliquas Alphabeti litteras ex Abaco expungere, cujusmodi sunt K, W, Y, &c. sic enim pauciores litteræ in Epistola numerandæ erunt, quam alias; quandoquidem numeri Abaci non ad 24. sed solum ad 20, aut 21, extendentur.

*Notandum XI.* Si supra Alphabetum frontale, aut ante laterale, scribantur etiam litteræ Græcæ, Hebraicæ, &c. potest Secretum Græcâ quoque, Hebraicâ, &c. lingua concipi, & sub ejusvis idiomatis Epistola abscondi.

Multa alia sagax Lector notare poterit. Multa ipse usus docebit. Nos ad alia pergimus.

§. VI. Docetur modus reddendi Epistolam scriptam immunem ab omni latentis secreti suspitione.

*Epistolam  
steganogra-  
phicam im-  
mune red-  
dere ab om-  
ni suspi-  
cione laten-  
tis secreti.*

**P**Ræcipuum quod in Steganographicis scriptionibus quaeritur, est, ut immunes sint à suspitione latentis secreti. Si enim intercipiuntur litteræ, tametsi apertè nihil secreti contineant, sed de re quapiam indifferente scriptæ sint; si tamen vel minimum secreti latentis indicium deprehenditur, detinentur, & modis omnibus laboratur ut in secreti notitiam deveniatur; aut saltem non mittuntur eò quò destinatae sunt. At si nullû secreti signum animadvertitur, sæpe litteræ referatæ sine fractione sigilli, clauduntur denuo, & dimittuntur; aut si retinentur, de secreto ex illis eruendo non laboratur.

Ex omnibus Steganographicis scriptionibus, quas hæctenus apud alios legi, aut ipse excogitavi, vix ulla est quæ non ingerat legenti dictam suspitionem, aliæ quidem statim & apertissimè, aliæ post non longam & accuratam inspectionem, ut patebit discurrenti per singulas quas apud alios & apud nos inveniet. Solum hoc nostrum Artificium adjunctum habet quàm minimum periculi, ut inspicientem ac legentem, artisque ignarum, in suspitionem adducat arcani sub ipso absconditi. Non tamen omni periculo vacat. Nam si advertatur (ut adverti facilè potest) litteras aliquas habere supra aut infra se puncta, aut virgulas, quæ ordinariis scriptionibus addi non solent; statim suspicio suboritur, & vel detegitur Secretum, vel litteræ detinentur. Videndum ergo, an hoc quoque periculo liberari queat dictum Artificium.

Cogitanti mihi hac de re, modus occurrit facillimus ille quidem, & aliis etiam in negotio Steganographico versatis notus, ac usitatus; ac satis securus, & ob id in pretio habendus. Constat passim, multos esse modos scribendi, ut characteres inconspicui maneat, nec legi possint nisi liquore, igne, lumine adhibito. Non nullos breviter retuli in Magia Cryptographica, ubi inter alia dixi, ut litteræ in charta scriptæ, & aliàs invisibiles, igne reddantur visibiles ac legibiles, effici, si scribatur in charta succo citri, aut limonis, aut cæpæ, aut cujusvis acris & immaturi fructus,

ctus, ut cerasi, sorbi, uvæ, &c. item si talem ammoniacum contundas, & in aqua diluas, eaque aquâ scribas: charta enim hisce liquoribus exarata, si igni admoveatur, & incalescat, litteræ aut nigrescunt, aut illum colorem induunt, quem maturi fructus præ se ferunt. Si igitur ejusmodi succo formentur puncta, aut virgulæ vel supra, vel infra illas Epistolæ ad amicum scriptæ litteras, supra aut infra quas formandas esse docuimus, eaque de re amicus antea præmoneatur; nõ apparebit ne vestigium quidem punctorum in Epistola intercepta: amicus verò ubi acceptas litteras ad ignem admovent, & calefecerit; apparere incipient.

Dices, satius esse, ejusmodi succo aliquo scribere expressè totum secretum, quod alteri manifestandum est, intra spatium vacuum inter duas quaslibet scriptæ Epistolæ lineas relictum, pro ut aliqui facere consueverunt. Respondeo periculosum hoc esse: si enim litteræ interceptæ ab aliquo, qui scit succis hujusmodi scribi posse ac solere, Epistola experiendi gratiâ igni admoveatur; jam proditum erit secretum: at si puncta tantum efformata sint; apparebunt illa quidem, at secretum manebit occultum.

Atque ex his patet, nec hunc modum vacare omni periculo ne in secreti noticiam ab aliis deveniatur. Si melius quid atq; securius inter scribendum occurrerit, communicabo ingenuè: si aliis quid innotuit, rogo ut significare non dedignentur.

Dum hæc scribo, Brixiam ex Italia mihi nuntiatur à viro docto, multos se modos secretè scribendi excogitasse, omni prorsus latentis arcani suspicione vacuos. Rogavi unum saltem aut alterum ut indicare non gravetur. Si voti compos fiam, in fine operis significabo.

## CAPUT II.

### *De Cryptographia per Tabulam Steganographicam, tam integram, quam dissectam in tabellas seu columnas.*

**D**ixi initio hujus Classis 3. Arcanum steganographicum universale combinativum, quod P. Athanasius Kircherus in Polygraphia sua nova tradit Syntagm. 3. quoad substantiam non esse

esse dissimile illi, quod præcedenti capite tradidi: quod enim ibi fit per Abacum Numeralem, ut ego vocavi, hoc fit citato loco ab ipso per Tabulam Steganographicam, Abaco nostro haud multum dissimilem; idque vel per integram atque indiffectam, vel per diffectam in varias columnas, atque intra Arcam seu cistam Steganographicam reconditas. Quod ut verum esse videat Lector, ante omnia Tabulam construemus, in columnas dissectabimus, Arcam fabricabimus, & dictis columnis instruemus. Sic igitur

*Tabula Steganographica integra.*

### §. I. Constructio Tabulæ Steganographicæ integræ.

Capite præcedenti §. I. diximus, Tabulam Steganographicam eibidem allatam, variis aliis ac pænè innumerabilibus modis construi & variari posse. Toties enim id fieri potest, quoties viginti quatuor Alphabeti litteræ inter se, & cum viginti quatuor numeris ibidem expressis, combinari possunt. Regulam inveniendi numerum combinationum quarumvis rerum, si binæ sumantur, tradidimus in Magia Arithmetica, quæ est liber penultimus Par. 3. Magiæ Universalis, & infra Classe 5. cap. 5. aliquid dicemus.

*Vide Tabulam Steganographicam in diffectam.*

Tabulam hinc appositam disposuit P. Kircherus ad eum modum, quem vides. Poterat disponere aliter. Elegit hunc, in quo numeri non sequuntur se mutuo naturali ordine semper, sed variè permisti ac transpositi sunt. Quod enim magis sunt permisti, eò minus periculi subest, ut ab aliis, qui Artem per litterarum commutationem, & numerorum loco litterarum usurpationem callent, in secreti illâ arte involuti cognitionem deveniatur. Si autem & litteræ Alphabeti, & numeri litteris adjuncti naturali ordine se mutuo sequuntur, ab ingeniosis secretorum erui potest per regulas, quarum aliquas tradidimus in fine Magiæ nostræ Cryptographicæ.

In hac Tabula singulis numerorum columnis perpendicularibus apponuntur viginti quatuor litteræ Alphabeti, quia voluit Auctor non solum numeros variè inter se miscere, aliosque & alios iisdem litteris apponere, ut nos fecimus in Tabula superiori Ca-

TABULA STEGANOGRAPHICA INDISSECTA.

Pag. 88.

A	B	C	D	E	F	G	H	I	K	L	M	N	O	P	Q	R	S	T	V	W	X	Y	Z
A 6	B 2	C 20	D 2	E 4	F 6	G 2	H 4	I 4	K 6	L 15	M 23	N 1	O 24	P 10	Q 15	R 17	S 20	T 8	V 9	W 10	X 17	Y 24	Z 11
B 2	C 3	D 21	E 3	F 3	G 5	H 1	I 2	K 2	L 5	M 14	N 22	O 24	P 22	Q 11	K 16	S 18	T 24	V 10	W 11	X 12	Y 18	Z 23	A 12
C 3	D 1	E 22	F 5	G 6	H 8	I 3	K 1	L 3	M 4	N 13	O 12	P 11	Q 23	R 12	S 17	T 20	V 23	W 9	X 10	Y 11	Z 19	A 22	B 13
D 4	E 5	F 23	G 4	H 5	I 7	K 5	L 3	M 1	N 3	O 12	P 20	Q 10	R 21	S 14	T 19	V 5	W 22	X 11	Y 16	Z 17	A 20	B 21	C 14
E 5	F 4	G 24	H 7	I 8	K 10	L 4	M 6	N 8	O 2	P 11	Q 19	R 9	S 19	T 13	V 18	W 21	X 21	Y 13	Z 15	A 16	B 2	C 20	D 15
F 1	G 7	H 15	I 6	K 7	L 11	M 6	N 5	O 7	P 1	Q 10	R 18	S 8	T 20	V 15	W 24	X 19	Y 9	Z 12	A 14	B 15	C 1	D 19	E 16
G 7	H 6	I 6	K 9	L 10	M 9	N 7	O 8	P 6	Q 12	R 21	S 17	T 7	V 18	W 20	X 23	Y 24	Z 7	A 15	B 13	C 14	D 24	E 18	F 17
H 8	I 9	K 5	L 8	M 9	N 12	O 9	P 7	Q 5	R 11	S 20	T 16	V 6	W 17	X 19	Y 22	Z 23	A 8	B 14	C 12	D 13	E 23	F 17	G 18
I 9	K 8	L 4	M 10	N 12	O 14	P 8	Q 11	R 12	S 10	T 19	V 15	W 5	X 16	Y 18	Z 21	A 1	B 6	C 17	D 23	E 24	F 22	G 16	H 19
K 10	L 12	M 3	N 11	O 11	P 13	Q 11	R 10	S 11	T 9	V 18	W 14	X 4	Y 15	Z 17	A 20	B 21	C 5	D 16	E 22	F 23	G 21	H 15	I 20
L 11	M 10	N 2	O 13	P 14	Q 16	R 10	S 9	T 10	V 8	W 17	X 13	Y 3	Z 14	A 16	B 6	C 4	D 4	E 19	F 21	G 22	H 16	I 14	K 21
M 12	N 11	O 1	P 12	Q 13	R 15	S 12	T 14	V 24	W 7	X 16	Y 21	Z 2	A 13	B 2	C 5	D 3	E 2	F 18	G 20	H 21	I 15	K 13	L 22
N 13	O 14	P 19	Q 15	R 16	S 18	T 15	V 13	W 16	X 17	Y 9	Z 11	A 22	B 1	C 1	D 4	E 2	F 3	G 21	H 19	I 20	K 14	L 12	M 23
O 14	P 15	Q 17	R 14	S 15	T 17	V 14	W 12	X 15	Y 16	Z 8	A 10	B 21	C 2	D 24	E 3	F 9	G 1	H 20	I 18	K 19	L 15	M 11	N 24
P 15	Q 13	R 18	S 16	T 17	V 20	W 13	X 17	Y 14	Z 16	A 7	B 9	C 20	D 3	E 23	F 2	G 8	H 18	I 23	K 17	L 18	M 12	N 10	O 1
Q 16	R 18	S 16	T 17	V 19	W 19	X 19	Y 16	Z 13	A 14	B 6	C 8	D 19	E 4	F 22	G 1	H 7	I 19	K 22	L 8	M 9	N 11	O 9	P 10
R 17	S 17	T 13	V 19	W 18	X 21	Y 18	Z 15	A 20	B 13	C 5	D 7	E 18	F 5	G 21	H 14	I 6	K 17	L 24	M 7	N 8	O 10	P 8	Q 9
S 18	T 16	V 14	W 18	X 20	Y 24	Z 17	A 20	B 19	C 23	D 4	E 6	F 17	G 6	H 8	I 13	K 16	L 16	M 1	N 6	O 7	P 9	Q 7	R 8
T 19	V 20	W 11	X 21	Y 22	Z 22	A 16	B 19	C 18	D 22	E 3	F 5	G 16	H 7	I 7	K 12	L 15	M 14	N 3	O 5	P 6	Q 8	R 6	S 7
V 20	W 19	X 12	Y 22	Z 21	A 23	B 20	C 18	D 17	E 21	F 2	G 4	H 15	I 8	K 6	L 11	M 14	N 15	O 2	P 4	Q 5	R 7	S 5	T 6
W 21	X 24	Y 10	Z 24	A 24	B 1	C 24	D 23	E 9	F 20	G 1	H 3	I 14	K 9	L 5	M 10	N 13	O 13	P 5	Q 3	R 4	S 6	T 4	V 5
X 22	Y 22	Z 9	A 23	B 23	C 2	D 21	E 22	F 23	G 19	H 24	I 2	K 13	L 10	M 4	N 9	O 12	P 12	Q 4	R 2	S 3	T 5	V 3	W 4
Y 23	Z 23	A 8	B 1	C 2	D 4	E 22	F 21	G 22	H 18	I 23	K 24	L 12	M 11	N 3	O 8	P 11	Q 10	R 6	S 1	T 2	V 4	W 2	X 3
Z 24	A 21	B 7	C 20	D 1	E 3	F 23	G 24	H 21	I 24	K 22	L 1	M 23	N 12	O 9	P 7	Q 10	R 11	S 7	T 24	V 1	W 3	X 1	Y 2

ri Capite allata; sed etiam ipsas Alphabeti litteras, ut magis impenetrabilis foret ars per eam scribendi. Similibus Tabulis utuntur Hebræorum Rabini in Cabala, & vocant Ziruph, ut in Cabala, seu libro 12. Technicæ curiosæ diximus.

§. II. Præparatio tabellarum seu columnarum  
steganographicarum.

Quod alii ante hac per varias Alphabetariorum litterarum <sup>Tabella</sup> metatheses, seu transpositiones, & orchemata seu transfilii- <sup>stegano-</sup> <sup>graphica.</sup> tiones præstiterunt in steganographico negotio, sed per Tabulam Alphabeticam variè transpositam integram atque indiffectam; hoc *P. Athanasius Kircherus*, in combinatoria Arte exercitatissimus, traduxit ad easdem quidem metatheses, & orchemata, sed per Tabulam dissectam in varias columnas, aptas ad multiplicem combinationem tum litterarum, tum numerorum (numeros enim litteris singulis addere placuit, ut vidimus) facillimè ac summa cum operantium jucunditate subeundas. Singulas ergo columnas perpendiculares prædictæ Tabulæ excidit, tabellis ligneis in eum finem præparatis adglutinavit, aut ipsis tabellis litteras ac numeros è Tabula desumptos inscripsit, Arculæ seu Cistulæ affabrè elaboratæ, & in varia loculamenta dispersitæ inclusit, ut facillè pro operantis opportunitate eximi ac reponi possent, prout in sequenti §. apparebit.

Præparavit autem non tantum viginti quatuor ejusmodi tabellas (quot columnas perpendiculares exhibet præcedens steganographica Tabula) sed sexies viginti quatuor, hoc est, in universum 144. Nec uni tantum harum tabellarum faciei, sed utrique litteras & numeros, diversos tamen, inscripsit, atque adeo 288. tabellas steganographicas constituit. Quò enim habentur plures, eò facilius ac jucundior redditur operatio tam scribenti, quàm legenti, ut ex dicendis constabit. Nunc ad Arcam steganographicam describendam trans-  
eamus.

§. III. Constructio Arcæ seu Cistæ steganographica.

Vide Iconismū 2.  
seu  
Arcam steganographicam.

Fiat ex ligno polito Cistula seu Arcula affabrè elaborata, ABCDEFG, longitudinis palmaris aut pedalis circiter ab A usq; ad B. Cavitas interna dividatur per septum HI primùm in duo majora, deinde per transversa septa *m n* in 24. minora æqualia loculamenta, seu receptacula, ita ut 12. loculamenta sint supra septum HI, & totidem infra, prout in apposito schemate apparet. Singula loculamenta minora sint capacia aliquot columnarum aut tabellarum ex steganographica Tabula excissarum, & ligneistabellis adglutinarum, ut præcedenti §. diximus, ver. gr. quinque, sex, aut quotquot volueris: quò enim plures erunt ejuscemodi columnæ seu tabellæ, eò facilior ac jucundior erit operatio per illarum combinationem, ut diximus. Harum columnarum seu tabellarum (quæ ligneæ sint, & vel chartis obductæ, vel nudæ, æqualis omnes altitudinis ac latitudinis) utramque faciem, anteriorem videlicet & posteriorem implebis litteris ac numeris è Tabula steganographica desumptis, ita ut in una tabellæ facie sit columna Tabulæ inchoata ab A, in altera facie columna inchoata à *b*; item una à B, altera à *c* &c. Hoc indicare volui in schemate per duplices litteras unicuique loculamento adscriptas, *Ab, Bc, Cd, &c.* Itaque in loculamento *Ab*, sint sex tabellæ, quarum una facies inchoata sit ab A, altera à B, seu *b*: & in loculamento *Bc* sint itidem sex tabellæ, inchoatæ à B in una facie, & à C seu *c* in altera.

Procurandum autem est diligenter, ut omnes tabellæ in Cistulam recondendæ, dividantur à vertice deorsum in spatia 24. æqualia in omnibus, pro numero 24. litterarum Alphabeti, quæ illis spatiis unà cum numeris debent inscribi. Quæ quidem spatia in utraq; tabellarum facie debent eodem modo divisa esse. Si 144 præparatæ sunt tabellæ, imponantur singulis loculamentis sex. Quæ sunt in loculamento *Ab*, habeant in una facie descriptam columnam A, in altera verò facie columnam B, è Tabula steganographica. Quæ in loculamento, *Bc* sunt, habeant columnam B in facie una, & columnam C in facie altera, ex eadem  
Tabula

Tabula defumptas. Sequentium loculamentorum tabellæ habeant sequentes columnas inscriptas, prout litteræ singulis loculamentis adscriptæ monstrant. Itaque singulæ tabellarum facies erunt divisæ & litteris ac numeris notatæ, prout divisæ ac notatæ sunt columnæ anteriori faciei Arcæ inscriptæ in præcedenti schemate.

Singulæ tabellæ Arcæ impositæ habeant in vertice nodulum, aut annulum, ut faciliè apprehendi, & ex Arcâ eximi queant. Habeat quoque Arcâ suum operculum, seu planum, seu arcuatam, & ad libitum aptè formatum; eritq; tota Arcâ præparata.

Debent autem duæ fieri Cistæ seu Arcæ, sive similes inter se sint, sive dissimiles: una pro Steganographo, seu scribente, altera pro Steganologo seu legente. Necessarium tamen est, ut in utraque Arcâ litteræ Alphabetariæ, & numeri ipsis inscripti, eandem prorsus seriem seu ordinem servent, alioquin oleum & operam perdent operantes, nec in æternum se mutuò intelligunt.

## CAPUT III.

*De usu vulgari Arcæ Steganographicae, & tabellarum in ea reconditarum, per solas litteras.*

**D**uplex est usus tabellarum hæcenus præparatarum; alter vulgaris, & vulgares tantum operandi, nec a leo difficiles praxes exhibens, quæ sine Arcâ & tabellis exhiberi etiam queunt; alter verò novus, mirabilis, ac minimè vulgaris, qui nec ante P. Kircherum cuiquam, quod sciat, in mentem venit, nec sine Arcæ ac tabularum supellectile in praxin deduci potest. Priorem hoc & sequentibus aliquot capitibus, posteriorem infra à capite 12. exhibebo. Et quia in vulgari usu fieri potest duplex combinatio, nimirum vel litterarum ad litteras, vel numerorum ad numeros: priorem priùs hoc capite explanabo; sequentibus alteram.

§. 1. Steganographicè scribere, & legere, ope solarum litterarum Alphabeti tabellis inscriptarum.

**T**abellis steganographicis seu combinatoriis, hæcenus præparatis, inscriptæ sunt & litteræ, & numeri, Scriptio ac lectio

steganographica fieri potest opesolarum litterarum, & ope litterarum ac numerorum simul, ut paulò antè dixi. Primam praxin nunc trademus, alteram postea.

Scriptio & lectio steganographica per solas litteras, valde vulgaris est, & antiqua, olim à Casare Augusto, aliisq; Romanis, ut initio hujus 3. Classis dixi, usurpata, ac postea à Joanne Trithemio exculta, nec non à Joanne Baptista Porta, à Blasio Vigenerio, à Gustavo Seleno, ab Hercule Sundt, aliisque passim. Consistit in litterarum Alphabetariarum metathesi, scribendo litteram pro littera, ut B pro A, C pro B &c. Potest variari toties, quoties 24. Alphabeti litteræ possunt inter se binæ ac binæ conjungi, ut nova semper resultet conjunctio. Non est securus hic modus scribendi, sed statim à quovis deprehenditur sub eo latere secretum, quoniam barbara & nihil significativa vocabula procreat. Exhibere tamen eum placet per tabellas, quoniam faciliùs & jucundius per illas fit, quàm aliàs fieri solet.

Sit itaq; scribendum ad absentem quodcunque secretum, ver. gr. hoc: CAVE AB EO QUEM NON NOSTI; sic operare.

*Primò*, scriptis ante te omnibus litteris secreti, deprime ex Arca tabellam A (id est) quæ in capite signata est litterâ Alphabeti A, aliamq; quamcunq; ver. gr. tabellam B; easq; juxta se colloca, ut vides hîc factum.

*Secundò*, quære in tabella A singulatim omnes secreti scribendi litteras, & loco illarum exscribe litteras in altera tabella ipsis è regione correspondentes, & infra secreti litteras scribe: nempe in casu posito quære in tabella A primò litteram C, & loco ipsius scribe in charta litteram D ipsi respondentem: deinde quære litteram A, & pro ipsâ scribe B; tum litteram V, & pro ipsâ scribe W, & pro E scribe F, & sic consequenter ad finem usque procede, donec omnes secreti litteras percurreris in tabella A, & ex tabella B correspondentes ipsis litteras exscriperis. Quibus factis, sic stabunt litteræ ex tabella B desumptæ, &

infra secreti litteras: *cave ab eo quem non nosti.*  
DBWF BC FP RWFN OPO OPTVK.

A	B
B	C
C	D
D	E
E	F
F	G
G	H
H	I
I	K
K	L
L	M
M	N
N	O
O	P
P	Q
Q	R
R	S
S	T
T	V
V	W
W	X
X	T
T	Z
Z	A

*Tertiò*, has litteras describe, & amico absenti mitte. Notum autem ipsi debet esse, quam tabellam cum tabella A combineris: itaque vel antea debet esse monitus, vel debet alicubi in Epistola notari littera B, ut colligat tabellam B fuisse cum A combinatam.

§. II. Scriptionem steganographicam præcedentem legere.

**E**X verbis barbaris, & nihil significantibus, paulò antè positis, amicus absens veniet in cognitionem secreti sub illis latentis, hoc pacto.

*Primò*, collocet juxta se tabellas A & B, aut quascunque alias quas Steganographus adhibuit.

*Secundò*, quærat in secunda tabella, quæ ad dexteram est posita, omnes litteras verborum ad se missorum, & videat quæ litteræ illis in prima tabella ad sinistram collocata è regione respondeant. Has exscribat, & infra litteras ad se missas ponat; & inveniet litteras secreti antea positi ut sequitur.

DBWF BC FP RWFN OPO OPTVK.

*cave ab eo quem non nosti.*

Annotatio I.

**N**on est necessarium, ut primo loco adhibeas tabellam A, sed potes quascunque duas combinare, & ex prima ad sinistram quærere litteras secreti, ex secunda verò excerpere litteras ipsis è regione respondentes; dummodò innotescat absenti cui scribitur, quamnam tabula fuerint combinata.

Significari id posset, in initio Epistola exprimendo majusculis litteris primam vocem, aut primam primæ vocis syllabam: ut si adhibita sunt tabella A & B; inchoetur Epistola hac salutandi formulâ, AB eo saluteris, à quo omnis salus: si tabella P & A fuerint adhibita; salutatio sit, PAX à Christo JESU &c.

Annotatio II.

**M**odus hic scribendi, tamen si statim primâ facie ostendat secretum aliquod sub ipsa scriptura latere, potest tamen institui tam occultè, ut nullum humanum ingenium in secreti cognitionem

devenire queat. Nam praterquam quod litteræ in tabellis per varia orchemata variè possunt disponi, & ipsæ tabellæ, si binæ sumantur, possint innumerabilibus penè modis semper aliter ac aliter combinari; possunt etiam assumi tres tabellæ, & juxta se collocari, & pro litteris secreti in prima ad sinistram tabellæ repertis substitui duæ litteræ ipsis è regione in aliis duabus tabellis respondentes. Exempli gratiâ, si ad tegendum præcedens secretum, adhibeas tres tabellas quæ in vertice gerunt A, B, C; pro litteris caue, in prima tabellâ A repertis, scribere poteris  $\begin{matrix} DE BC WX FG, \\ c a u e \end{matrix}$  quarum primæ duæ respondent è regione litteræ C; secundæ, litteræ A; tertiæ, litteræ V; quartæ, litteræ E. Qui quidem ipse modus innumeras quoque mutationes subire potest, cum semper alia atq; alia tres tabellæ copulari possint.

## CAPUT IV.

## Scribere &amp; legere steganographicè ope duarum rotularum cum solis litteris.


**L**Oco viginti quatuor tabellarum, quarum semper binæ aut ternæ ad scribendum steganographicè modo explicato sumantur, adhiberi possunt facillimè ac jucundè solum duæ aut tres rotulæ, Alphabeti litteris inscriptæ tali pacto.

## §. I. Constructio rotularum.

*Rotule steganographicae, earumq; usus per solas litteras.*

**F**IANt ex lamina ærea, aut argentea, ex ligno, aut charta crassiori, duæ rotulæ, concentricæ, exterior videlicet major, & interior minor, uti in apposita figura apparet. Utraque dividatur in 24. æqualia spatia, & spatiis inscribantur 24. litteræ Alphabeti. Interior ac minor supponatur exteriori, eique ita in centro affigatur, ut circa eundem axem liberè gyrari possit, & quavis littera interioris ad quamvis exterioris promoveri, nempe

nempe A interioris nunc ad exterioris B; nunc ad C, modò ad D, ad E, ad F &c.



### §. II. Scriptio steganographica per rotulas.

**P**Raxis scribendi steganographicè per has duas rotulas, consistit in hoc. *Primò*, Si vis in scriptione combinare B cum A, C cum B, D cum C &c. promove interioris rotulæ litteram B ad litteram A exterioris, & habebis in omnibus utriusque Alphabeti litteris combinationem desideratam. Si vis A interioris componere cum C exterioris, & B cum D, C cum E, ita ut una semper littera transfiliatur; promove A interioris ad C exterioris, & habebis intentum. Simili ratione habebis alias quascunque desideratas combinationes.

*Secundò*, scribe ante te secretum quod per litterarum methesin vis significare amico absenti, & quare omnes ejus litteras singulatim in rotula exteriori, ac loco harum exscribe ordine litteras.

litteras in rotula interiori è regione positas; & habebis secretam scriptionem. EXEMPLUM. Sint absenti secretò significanda hæc verba, FUGE CITO: quare & exscribe horum verborum litteras ex rota exteriori, easque scribe ante te sic:

*Litt. secret.* F U G E C I T O :

*Litt. stega.* g W h f d k u p.

Quare deinde in rotula interiori litteras prioribus è regione respondententes, easque scribe intra illas, ut hîc factum vides. Demum litteras has posteriores, nempe g, W, h, f, d, k, u, p, mitte ad amicum absentem, immixtas vocibus Epistolæ quam ad eundem scribes.

### §. III. Lectio steganographica per rotulas.

**H**anc Epistolam ubi acceperit amicus, & voces nihil significantes conspexerit, sciveritque quas litteras Alphabeti cum quibus combinaveris; statim promovabit rotulæ internæ litteram B, ad rotulæ externæ litteram A. Deinde quæret singulas litteras secreti ad se missi in rotula interna, easque ante se scribet, ut paulò antè factum est. Demum in rotula externa quæret litteras singulis litteris scriptis correspondentes, easque scribet supra aut infra priores, ut in eodem exemplo paulò antè fecimus; & habebit secretum manifestum his verbis: FUGE CITO.

#### Annotatio I.

*SI pro singulis secreti litteris vis inter scribendum substituere duas litteras ipsis correspondentes, prout antea per tabellas fieri posse docuimus; fige intra duas jam dictas rotulas tertiam, in spatia 24. divisam, & totidem Alphabeti litteris notatam; & operare modo paulò antè, & in Annotatione 2. præcedentis §. explicato.*

#### Annotatio II.

*SECRETUM absenti transmittendum, sive rotularum, sive tabellarum ope, potest concipi ac scribi in privata charta quocunq; idiomate quod absens callet, dummodo idiomatica utantur litteris Alphabetariis quæ in tabellis ac rotulis descriptæ sunt. Si intra tabellas ac rotulas scribantur litteræ Græcæ, Hebræicæ, Arabicæ &c. potest etiam*

etiam secretum hisce linguis concipi ac scribi. Epistola qua ad amicum mittitur, & cui steganographica voces intermiscentur, potest quocunq; idiomate exarari, tametsi absens amicus non intelligat, quia non ex Epistola, sed ex litterarum metathesi eruere debet verba & sensum secreti.

CAPUT V.

De usu vulgari Arca & tabellarum steganographicarum per litteras & numeros.

Explicavimus usum vulgarem unius & plurium tabellarum per solas litteras: nunc eundem explicabimus per litteras & numeros.

§. I. Scribere per numeros unius solius tabellæ.

Primò, elige ex omnibus tabellis quam volueris, ver. gr. tabellam C, hoc est, quæ in capite habet C litteram.

Secundò, scribe ante te quocunq; idiomate (modò utatur litteris in tabella descriptis) secretum quod amico transmittere vis, quod sit ver. gr. hoc: CAVE AB EO QUEM NON NOSTI BENE.

Tertiò, in tabella C assumpta quare omnes secreti litteras, unam post aliam, & loco litterarum exscribe numeros ipsis à latere correspondentes, ver. gr. loco litteræ C scribe 20, loco A scribe 8, loco V scribe 14, loco E 22, & sic de reliquis: stabuntque numeri prout in columna secunda hic posita apparet. Poteris autem scribere numeros vel in una linea perpendiculari à summo deorsum, unum sub altero, ut hic factum est; vel in linea transversali à dextera versus sinistram, unum post alterum, ut litteras scribere solemus.

Quartò, numeros scriptos mitte ad amicum absentem, addito hoc titulo, *Motus Solis in apogæo,*

Tab. I. Tab. II.

C 20	C 20
D 31	A 8
E 22	V 14
F 23	E 22
G 24	A 8
H 15	B 7
I 6	E 22
K 5	O 1
L 4	Q 17
M 3	V 14
N 2	E 22
O 1	M 3
P 19	N 2
Q 17	O 1
R 18	N 2
S 16	N 2
T 13	O 1
V 14	S 16
W 11	T 13
X 12	I 6
T 10	B 7
Z 9	E 22
A 8	N 2
B 7	E 22

Arca steganographica usus vulgaris per litteras & numeros.

Motus Solis in apogæo

vel alio quopiam; & Epistolâ adjunctâ, quâ dicas te mittere desideratum ab ipso calculum, à te tandem confectum.

*Quintò*, ut absens sciat quâ tabellâ fueris usus, monendus est vel antea, vel in Epistola modo aliquo, qui faciliè ab aliis adverti nequeat, indicandum. Possit primum Epistolæ vocabulum inchoari à littera, quam tabella adhibita in capite gerit. Sed hac dere debet antè conveniri cum amico.

## §. II. Legere scriptionem steganographicam per numeros unius solius tabellæ.

**A**micus absens, acceptis his numeris cum Epistola, ponat ante se tabellam C, & in illa quærat omnes numeros. unum post alterum, & litteras illis in tabella C correspondentes ponat vel ante, post numeros, si perpendiculariter scripti sunt; vel supra, aut infra, si transversaliter.

His factis stabunt litteræ prout in tabella secunda antea posita apparet; & conjunctæ in voces, dabunt secretum quaesitum, nempe, CAVE AB EO QUEM NON NOSTI BENE.

## CAPUT VI.

### *Scribere & legere steganographicè ope duarum rotularum per numeros loco litterarum.*

**Q**uod per unam quamcunque tabellam fieri docuimus, fieri quoque facillimè potest per duas præcedentes aut illis similes rotulas, si exteriori adscribantur 24 quicunque numeri, interiori verò alii 24 quicunque, sed ordine seu serie differente, prout in apposita figura apparet. Quibus quidem

in

in rotulis quoties variari litterarum, toties & numerorum combinatio potest.



§. I. Scriptio per numeros ope duarum rotularum.

Sitaque ope harum duarum, & aliarum quarumvis quomodolibet quoad litteras & numeros dispositarum rotularum scribere secretum quoddam allubet, ver. gr. hoc, VIGILA, INIMICUS APPROPINQUAT; sic age.

*Primò*, gyra rotulam interiorem, ejusque litteras & numeros combina cum litteris ac numeris exterioris prout lubet, ver. gr. ut littera D combinetur cum A, E cum B, F cum C &c.

*Secundò*, scribe ante te prædictum secretum, & omnes ac singulas illius litteras quære in rotula exteriori.

*Tertiò*, loco litterarum inventarum exscribe ordine omnes numeros rotulae interioris, qui litteris in exteriori rotula inventis correspondent, ver. gr. loco V (quæ est in prima secreti littera) inventæ in rotula exteriori, scribe numerum 14, qui ipsi in rotula interiori responderet; & loco I secundæ litteræ secreti inventæ in rotula exteriori, scribe numerum 16, qui in rotula interiori ei responderet. Eodem modo procede usque ad finem secreti. Quo facto, sic stabunt numeri ex rotula interiori eruti:

14. 16. 4. 16. 8. 3. 16. 9. 16. 10. 16. 2. 14. 13.

3. 20. 20. 11. 19. 20. 16. 9. 18. 14. 3. 12.

N 2

Quar-

*Quartò*, hos numeros describe vel in perpendiculari linea, vel in transversali, & ad amicum absentem mitte, additâ Epistolâ in qua fingas te mittere desideratum ab ipso calculum motus cujusdam planetarii. Adde signum ex quo colligat, quòd litteram D cum A combinaueris, nisi antea fuerit monitus. Signum erit, si Epistolam à D auspiceris.

### §. H. Lectio præcedentium numerorum per rotulas.

**Q**uos numeros amicus absens leget, & per illos in cognitionem absconditi secreti veniet, tali pacto.

*Primò*, promoveat litteram D rotulæ internæ, ad litteram A externæ rotulæ.

*Secundò*, quærat singulos numeros præcedentes ad se missos in rotula interiore, & exscribat litteras in rotula exteriori ipsis correspondentes: nempe loco numeri 14. scribat V, loco 16. scribat I, loco 4. G, loco 16. I, loco 8. L, loco 3. scribat A &c. Et sic ulterius usque ad finem numerorum progrediatur.

*Tertiò*, his factis colligat litteras inventas in dictiones, & inveniet has: *Vigila, inimicus appropinquat*; quod est secretum à steganographo missum.

## CAPUT VII.

*Per duplices numeros scribere & legere steganographicè duarum tam tabellarum, quàm rotularum ope.*

**P**Ræcedens praxis ita implicari potest, ut humano ingenio penitus sit impenetrabilis, si nimirum duplices numeros juxta se perpendiculariter scriptos adhibeas, illisque signa Graduum ac Minutorum superponas, ut videantur esse numeri Astronomici. Fieri potest per duas tabellas juxta se positas, & per duas rotulas antea exhibitas. Per tabellas sic:

*Steganographiam exercere per duplices numeros ope tabellarum, & rotularum.*

§. I. Scri-

§. I. Scriptio & lectio per duas tabellas.

**V**elis absenti significare hoc secretum:  
LATOR HVJVS PESSIMVS EST.

*Primò*, pone juxta se duas quascunque tabellas, ver. gr. tabellas D & E,

*Secundò*, ex prima tabella ad sinistram quare omnes secreti litteras, ordinatè unam post alteram.

*Tertiò*, loco litterarum exscribe ex utraque tabella numeros ad latus litterarum repertarum positos, prout factum vides in exemplo hinc apposito, ubi loco L scripsimus 8. 9. loco A 23. 23. loco T 17. 19. loco O 13. 14. loco R 14. 15. &c. & hos numeros mitte amico cum adjuncta Epistola aliqua materiae Astronomicae accommodata.

Annotationes.

**N**otandum autem, in hoc exemplo primos tantum numeros, signo graduum notatos, & ex prima tabella desumptos, denotare litteras ex eadem prima tabella depromptas, nullâ habitâ ratione numerorum ex secunda tabella desumptorum.

*II.* Potes tamen easdem litteras ex tabella prima excerptas significare per numeros secunda tabula tantum, ut nulla ratio habeatur numerorum prima tabella.

*III.* Potes præterea litteras secreti quare ac depromere ex secunda tabella, illasque indicare vel per prima, vel per secunda, vel per utriusque tabella numeros.

| I.   | II.  | Gra. Min. |
|------|------|-----------|
| D 2  | E 4  | 8. 9. L   |
| E 3  | F 3  | 23. 23. A |
| F 5  | G 6  | 17. 19. T |
| G 4  | H 5  | 13. 14. O |
| H 7  | I 8  | 14. 15. R |
| I 6  | K 7  | 7. 8. H   |
| K 9  | L 10 | 19. 18. V |
| L 8  | M 9  | 6. 7. I   |
| M 10 | N 12 | 19. 18. V |
| N 11 | O 11 | 16. 17. S |
| O 13 | P 14 | 16. 17. S |
| P 12 | Q 13 | 6. 7. I   |
| Q 15 | R 16 | 10. 12. M |
| R 14 | S 15 | 19. 18. V |
| S 16 | T 17 | 16. 17. S |
| T 17 | V 19 | 17. 19. T |
| V 19 | W 18 |           |
| W 18 | X 20 |           |
| X 21 | Y 22 |           |
| Y 22 | Z 21 |           |
| Z 24 | A 24 |           |
| A 23 | B 23 |           |
| B 1  | C 2  |           |
| C 20 | D 1  |           |

IV. *Semper tamen, quocumq; dictorum modorum utaris, monendus aut premonendus est amicus, ut sciat quas tabulas combi-  
naveris, ex qua litteras secreti depromseris, cujus tabulae numeri  
litteras illas significant. &c.*

Numeros porrò prædicto modo scriptos, ac missos, leget abs-  
sensus, si illos quærat in prima columna, & litteras illis correspon-  
dentes ad latus singulorum scribat, ut in exemplo factum est. Si-  
mili modo illas inveniet, si litteræ ex secunda tabella fuerunt de-  
promptæ; aut si litteræ primæ tabellæ indicantur per numeros  
secundæ tabellæ &c.

### §. II. Lectio & scriptio eadem per duas rotulas,

**P**ER duas rotulas capite 6. exhibitas, eandem scribendi praxin  
exhibebis, & secretum paulò ante positum indicabis absenti, sic:

*Primò*, collocatis rotulis ut ibi factum, nimirum ut D littera  
respondeat litteræ A, quæ in rotula exteriori omnes litteras se-  
creti propositi, nempe *Lator hujus pessimus est.*

*Secundò*, loco litterarum repertarum exscribe numeros in u-  
traq; rotula, illis respondentes. Ut quia litteræ L respondent nu-  
meri 9. 8. litteræ A 8. 3. litteræ T 13. 12. litt. O 10. 19. litt. R. 15. 11. &c.  
scribe illos juxta se in duabus lineis perpendicularibus; *Flor. Cruc.*  
stabitque exemplum ut hic vides.

*Tertiò*, mitte hos numeros ad amicum, Epistolæ  
cuidam de negotio aliquo pecuniario inclusæ, adscri-  
pto primæ columnæ signo florenorum, secundæ cru-  
cigerorum, aut aliarum monetæ specierum.

*Debes autem & hac in praxi premonere, aut in-  
struere amicum, ut sciat quas litteras in rotulis combi-  
naveris; quod fiet, si Epistolam inchoes à syllaba AD.*

Per hos numeros absens veniet in cognitionem  
secreti.

*Primò*, si litteram D rotulæ internæ admoveat  
litteræ A externæ.

*Secundò*, si numeros primæ columnæ, notatæ si-  
gno flor. quærat in rotula externa: litteræ enim nume-  
ris in eisdem spatiis adscriptæ, sunt litteræ secreti.

|   |     |     |
|---|-----|-----|
| L | 9.  | 8.  |
| A | 8.  | 3.  |
| T | 13. | 12. |
| O | 10. | 19. |
| R | 15. | 11. |
| H | 6.  | 15. |
| U | 18. | 14. |
| I | 24. | 16. |
| U | 18. | 14. |
| S | 14. | 13. |
| P | 11. | 20. |
| E | 3.  | 6.  |
| S | 14. | 13. |
| S | 14. | 13. |
| I | 24. | 16. |
| M | 21. | 10. |
| U | 18. | 14. |
| S | 14. | 13. |
| E | 3.  | 6.  |
| S | 14. | 13. |
| T | 13. | 12. |

Anno-

## Annotationes.

I. **E**x dictis patet, etiam in scriptione per rotulas numeros prima tantum seu externa rotula significare litteras; ceteros vero interna rotule numeros tantum additos ad tegendum magis artificium, & amovendam secreti latentis suspensionem ab iis, quibus illud reatum volumus.

II. Itaq; tam in hac praxi per rotulas duas scribendi, quam in precedenti per duas tabellas, possunt ad numeros ex prima rotula, primaq; tabella desumptos, addi alii numeri ad libitum, qui minuta graduum, aut monet alicujus speciem significant; atque adeo quod diximus prestandum per duas rotulas, duasque tabellas, prestari potest per unam tantum, & numeris ex unica decerptis addi possunt alii ad libitum.

III. Sicut multis modis variari potest scriptio steganographica per tabellas, si semper alia atque alia due combinentur; ita & per duas rotulas predictas, si semper alia cum aliis littera & numeri combinentur.

IV. Non solum melius, sed necessarium ferè est, ut si adhibeantur duplices numeri, ii scribantur in lineis perpendicularittr descendentes, non vero in una serie transverse à sinistra ad dextram exarata, ne numeri ad unam litteram significandam pertinentes confundantur cum numeris ad aliam significandam destinatis; aut saltem ne confundatur & in errorem inducatur is, qui ex numeris eruere debet secretum latens.

V. Quia per duos numeros secretum modo haetenus explicato potest scribi, & legi, non curando numeros secunda columna perpendicularis, sive ex alia columna aut rotula desumptos, sive ad libitum additos; non est necessarium amico absenti significare, quanam secunda tabella fuerit applicata ad primam, aut quanam littera secunda rotula interna fuerit applicata littera a prima rotula externa, sed sufficit indicare ipsi primam tabellam. Quid si per numeros secunda seriei perpendicularis indicanda forent littera secreti, & ha ex prima columna, primaque rotula externa deprimenda forent; tum necessario & secunda tabella, & secunda rotula cum prima combinatio indicanda erit.

VI. Quan-

VI. Quando secretum indicatur absenti per numeros & litteras secunda tabella, aut secunda rotula interne; indicandum id est amico. Itaque prima littera Epistola potest esse littera prima secunda tabella, aut littera secunda rotula cum Aprima rotula combinata.

VII. Quando numeri significantes litteras desumpti sunt ex secunda tabella, aut rotula, littera verò secreti numeris istis significata ex tabella & rotula prima; tum utraq; tabella indicanda est amico, uti & combinatio secunda rotula cum prima. Itaq; prima littera Epistola potest esse prima littera prima tabella. Si autem rotula fuerunt adhibita, sufficit ut prima littera Epistola sit illa secunda rotula, qua cum Aprima fuit combinata.

### CAPUT VIII.

#### Per tres, quatuor, quinque tabellas, aut rotulas steganographiam exercere.

Stegano-  
graphiam  
exercere  
per tres,  
quatuor,  
quinque ta-  
bellas, aut  
rotulas.

EX dictis hætenus colligi facillè potest, eodem aut simili modo quo per duas scribimus ac legimus secretò tabellas, aut rotulas, posse scribi ac legi per tres, quatuor, quinque, aut quotquot libuerit.

Si enim per tres tabellas scribere libuerit, seligantur tres qualibet ver. gr. P, A, X, id est, quarum primæ in capite litteræ sint P, A, X. Hæ collocentur juxta se invicem, ut P sit prima, A secunda, X tertia. Litteræ secreti indicandi, ver. gr. C A V E, querantur in prima tabella, & numeri qui è regione seu ad latus versus dexteram reperiuntur in omnibus tribus tabellis, scribantur in tribus lineis perpendicularibus, ut hîc factum vides, addito primæ lineæ signo Graduum, secundæ Minutorum primorum, tertiæ Minutorum secundorum.

|     |      |      |
|-----|------|------|
| 1°. | 13'. | 14". |
| 16. | 11.  | 10.  |
| 15. | 1.   | 1.   |
| 23. | 15.  | 12.  |

Indicari potest amico absenti, adhibitas fuisse tabellas P, A, X, incipiendo Epistolam à verbis, P A X Christi. Hic ergo ut legat secretum in numeris absconditum, ponat juxta se tres tabulas P, A, X. Querat deinde primò in illis primos tres numeros, sc. 1 13. 14. & litteram in prima tabella ipsis respondentem, nempe C, exscribat. Querat secundò secundos tres numeros, 16, 11. 16. & litteram

litteram A ipsis in prima tabella respondentem exscribat similiter. Eodem modo procedat cum aliis numerorum ternariis ad litteras illis in prima tabella respondentes inveniendas. Absolutâ operatione, habebit omnes secreti litteras, & verba.

Eadem prorsus est praxis scribendi & legendi per quatuor, quinque, aut quot libuerit tabellas.

Si rotulis uti luberet, deberent fieri rotulæ tres, quatuor, quinque &c. concentricæ, & circa eundem axem mobiles.

### Annotatio.

**Q**uæcunque ferè annotavi, & observanda dixi in præcedentibus duobus capitibus, huc quoque applicari & observari aut debent, aut possunt. Itaque litteræ secreti possunt depromi ex secunda quoque aut tertia tabella, idq; indicari amico. Item potest adhiberi una sola tabella, unaque rotula, & ex illis depromi possunt litteræ & numeri primæ seriei perpendicularis; numeri verò secundæ ac tertiæ seriei perpendicularis possunt addi ad libitum. Hoc si fiat, & indicetur amico absenti, poterit is legere secretum ex numeris operæ tantum tabulæ, illius nimirum ex qua litteræ & numeri excerpti sunt; quæ & indicari debet amico. Cætera sagax Lector non difficulter applicabit.

## C A P U T IX.

*Scribere & legere secretum numeris obvelatum,  
per tot tabellas, quot litteras secretum  
continet.*

**A**rtificium hoc brevissimè innuit P. Kircherus. Quod quia ingeniosum, facile, ac jucundum est, paulò fusiùs diducam. Numeri in paradigmate Auctoris sunt vitiosè ex Tabula steganographica descripti; quos correxi. Idem tamen Artificium paululùm variatum quoad modum iterum explicabimus sequenti capite 12. & 13.

*Stegano-  
graphiam  
exercere  
per tot ta-  
bellas, quot  
litteras  
continet  
secretum.*

Sit itaque scribendum per numeros hoc secretum: CAVE AB EO QUEM NON NOSTI.

*Primo*, selige ex Cista steganographica ordine naturali, ab A incipiendo, & per B, C, D &c. progrediendo, tot tabellas, quot in secreto indicando continentur litteræ, nempe in casu hîc posito viginti; ita ut prima depromatur ex loculamento A b secunda ex B c tertia ex C d &c. Has colloca juxta se eodem ordine, quo depromptæ sunt.

*Secundo*, quare in prima tabella A, primam litteram secreti C, eiq; adscriptum numerum 3 exscribe. Deinde in secunda tabella B, quare secundam litteram secreti A, eiq; adscriptum numerum 21 exscribe. Idem fac circa tabellam tertiam, quartam, quintam &c. usque ad vigesimam & ultimam. Quibus factis, sic stabunt numeri.

3. 21. 14. 3. 24. 1. 22. 8. 5. 8. 3. 23. 1. 24. 3. 9. 12. 20. 8. 18.

*Tertio*, hos numeros scriptos in Epistola aliqua vel in linea transversali, ut hîc, vel in perpendiculari, mitte ad amicum absentem. Hic, quia artificii conscius est, ut suppono, videns numerorum membra esse viginti, statim intelliget secretum constare viginti litteris. Seliget itaque ex Arca sua viginti tabellas ordine naturali, easque juxta se invicem collocabit. Deinde incipiendo à prima tabella, quæret primum numerum 3. in illa, & repertam litteram C correspondentem ipsi adscribet. Iterum secundum numerum 21, quæret in secunda tabella, & litteram A correspondentem adscribet eidem. Similiter quæret in tertia tabella numerum tertium 14. in quarta quartum 3. in quinta quintum 24, & sic usq; ad ultimum numerum progrediendo, & singulis numeris correspondentes suas litteras adscribet. Quibus finitis, sic stabunt litteræ supra (aut ante) numeros, & secretum indicabunt.

CAVE AB EO QUEM NON NOSTI.

3. 21. 14. 3. 24. 1. 22. 8. 5. 8. 3. 23. 1. 24. 3. 9. 12. 20. 8. 18.

#### Annotationes.

I. **H**ic modus secretum obvelandi per numeros, est prorsus impetrabilis. Potest multis modis variari: potest enim inchoari, non à prima tabella, sed ab alia qualibet, ut à secunda, tertia &c.

& pergi ab una ad aliam vel ordine naturali continuato & non interrupto, vel discontinuato ac interrupto per omissionem unius aut duarum intermediarum. Debet tamen hoc totum amico absenti constare, ut eodem ordine & ipse tabellas disponat.

II. Non est necesse adhibere tot tabellas simul, quot litteras continet totum secretum, sed possunt adhiberi primò tot, quot 3. c litteras continet primum secreti verbum; secundo tot, quot 21. a secundum verbum; tertio tot, quot tertium verbum continet; 14. u & sic ulterius. Et quidem post primum verbum notatum numeris primarum tabellarum ordine naturali positarum, potest notari secundum etiam & sequentia verba, redeundo 2. b semper ad easdem tabellas. Sed tunc post quodlibet verbum notatum numeris, interponenda est distinctio quæpiam inter 5. e singula verba, ut absens sciat, quot litteras quodlibet verbum 14. o continet, & quot tabellas pro singulis verbis adhibere 16. q oporteat. In apposito hîc exemplo expressimus numeris hac eadem 20. u verba quæ antea, CAVE AB EO QVEM NON NOSTI. 22. e Ac primum quidem verbum quadrilitterum expressimus quatuor primis tabellis A, B, C, D; secundum verbum bilitterum, 10. m duabus primis tabellis A, B; tertium verbum etiam bilitterum, 13. n iisdem duabus primis tabellis; quartum verbum quinquilitterum, quinque primis tabellis A, B, C, D, E; quintum 2. n verbum trilitterum, tribus primis tabellis A, B, C; sextum deniq; 13. n verbum pentalitterum quinq; antea dictis primis tabellis. 14. o Hîc quoq; magna varietas adhiberi potest, pro operantis 16. s arbitrio, ut consideranti sagaci Lectori patebit. 17. t

Absens ut legat hîc propositos numeros, ponat primò 8. i juxta se invicem ordine naturali primas quatuor tabellas, & in illis quatuor numeros quærat, numerisque correspondentes litteras adscribat. Deinde juxta se invicem applicet duas primas tabellas, & repertis numeris in exemplo positis adscribat illis litteras in tabellis respondentes. Eodem modo procedat usque ad finem, & habebit omnia verba secreti, prout in exemplo apparet.

## CAPUT X.

*Scribere & legere per numeros modis hactenus  
dictis, ope Abaci Numeralis, & Tabula Stegano-  
graphica integra.*

*Stegano-  
graphiam  
exercere  
per nume-  
ros & lit-  
teras, ope  
Abaci nu-  
meralis, &  
Tabula ste-  
gano-  
graphica.*

Quæcunque hactenus, diximus de modis variis scribendi ac legendi tam per litteras, quàm per numeros, ope tabellarum steganographicarum, sive per Tabulam steganographicam in varias columnas seu tabellas discissam; possunt etiam præstari tam per eandem Tabulam integram atque indiscissam traditam cap. 2. quam Abacum Numeralem traditum cap. 1. Nam *Primò*, si scribere vis per solas litterarum binarum aut ternarum combinationes, abscinde ex Tabula steganographica integra, capite 2. tradita, unum solum Alphabetum laterale, sive dextrum, sive sinistrum: hoc applica ad quodlibet aliud Alphabetum post laterale abscissum versus dexteram, aut sinistram: quære litteras secreti in Alphabeto abscisso, & loco illarum exscribe litteras ipsis correspondentes in alio aut aliis Alphabetis, cui aut quibus applicatum est.

Si absens sciat, quod Alphabetum cui aut quibus applicatum fuit, applicabit illud eidem, aut eisdem, & sine difficultate secretum leget.

*Secundò*, Si scribere vis per numeros unius solius tabellæ, abscinde vel columnam lateralem numerorum solorum ex Abaco capite 1. tradito, vel columnam lateralem numerorum ac litterarum ex Tabula steganographica cap. 2. tradita; eamque applica Alphabeto laterali Abaci, aut cuicumque vis Alphabeto perpendiculari Tabulæ steganographicæ: deinde quære litteras secreti in Alphabeto cui applicata est abscissa columna, & loco ipsarum exscribe numeros correspondentes, ac mitte amico. Hic si sciat, cui Alphabeto applicata fuerit columna numeralis, eamque eidem applicet; confestim leget secretum.

*Tertiò*, Si scribere placet per duplices numeros, perpendiculariter more Astronomorum, Mercatorum &c. scriptos; applica

ut

Ut antea columnam abscissam cuicunque columnæ litterali; in hac quære litteras secreti; loco harum scribe perpendiculariter numeros in columna abscissa ipsis respondentes; his numeris adde ad latus quoscunque alios cum signo Minutorum, Monetarum, ponderum, &c. & ad amicum absentem mitte. Hic si sciat, cui columnæ litterali fuerit applicata numeralis, ex numeris primæ seriei perpendicularis eruet Secretum.

Eodem modo scribi potest ope dictæ Tabulæ per tres, quatuor, aut quotquot volueris numerorum series.

Hæc insinuasse breviter sufficiant. Qui intellexerit præcedentia, intelliget & hæc; quæ illis non intellectis apprehendi non possunt.

## CAPUT XI.

*Per unicam litteram Alphabeti, quæ Clavis officium sustineat, integrâ Epistolâ de quavis re scriptâ secretum animi sensum alteri communicare.*

**P**roblema hoc proponit P. Achanasius Kircherus, aitq; multorum torfisse ingenia; videtur enim, si intelligatur ut verba fonant, valde paradoxum. Sed revera magnâ æquivocatione laborat; ejusque solvendi praxis est illa eadem quam tradidi ego præcedenti capite 9. & in dicti capitis Annotationibus. Quod ut manifestum fiat, ipsam P. Kircheri doctrinam & exemplum adduco ex Syntagm. 3. Polygraphiæ novæ, cap. 3. proposit. 5. ubi in hunc sensum loquitur.

Sic idem Secretus sermo qui supra, CAVE AB EO QUEM NON NOSTI; Clavis autem sit ver. gr. littera A, vel quæcunque alia ex Alphabeto assumpta. Hac industriâ procedes. Disponantur 20 tabellæ (*quoniam secretum continet totidem litteras*) juxta sequelam naturalem litterarum Alphabeti A, B, C, &c. Ex prima tabella seorsim describe numerû adscriptum litteræ C, quæ est prima littera secreti; ex secunda tabella numerum adscri-

*Stegano-  
graphiam  
exercere  
per unicam  
litteram  
Alphabeti  
pro Clave  
assumptam.*

ptum litteræ A, ex tertia numeros juxta tertiam secreti litteram, ex quarta numeros juxta quartam, ex quinta numeros juxta quintam secreti litteram, ex sexta numerum adscriptum litteræ sextæ B, & sic usque ad finem; & habebis sequentem numerorum (ait P. Kircherus) seriem: 3. 21. 14. 3. 24. 1. 22. 9. 11. 24. 21. 14. 22. 24. 12. 3. 8. 18.

Qui volet eruere secretum sub his numeris latens, cogat omnes hosce numeros in unam seriem (ait P. Kircherus) id est, exponat similiter 20 tabellas secundum naturalem seriem litterarum Alphabeti, inchoando à tabella A. Deinde in singulis tabellis quarat singulos numeros propositos; & statim ex litteris correspondentibus habebit secretum antea positum: *Cave ab eo quem non nosti.*

Si velles ut Clavis non esset littera A, sed ver. gr. littera O; dispone tabellas 20 inchoando à tabella O, & pergendo naturali litterarum Alphabeti serie usque ad finem, & redeundo ad primam A, reliquasq; deinceps, donec 20 disposueris, Eodem modo procede, quamcumq; litteram pro Clave elegeris.

Hæc P. Kircherus. Eadem omnia nos supra cit. loco docuimus. Est hic modus operandi valde aptus ad secretum reddendum impenetrabile, præterquam illi qui Clavem & modum procedendi scit.

### Corollarium.

**P**ER duas, tres, quatuor, aut quotvis alias litteras pro Clavi assumptas, steganographiam perficerè.

Stegano-  
graphiam  
exercere  
per duas,  
tres, qua-  
tuor litte-  
ras pro cla-  
ve assum-  
ptas.

Ex his patet, quomodo per duas, tres, quatuor, aut quotquot alias litteras, pro Clavi assumptas, steganographia perfici possit. Si enim pro Clavi assumantur hujus vocis, JESUS, quinque litteræ; seligantur ex omnibus tabellis illæ quinque, quæ notatæ sunt in capite litteris I, E, S, U, S; disponantur eodem ordine quo litteræ in dicta voce dispositæ sunt: Deinde ex prima tabella exscribatur numerus scriptus juxta primam litteram secreti in tabella repertam, & ex secunda numerus scriptus juxta secundam litteram secreti, & ex tertia numerus juxta tertiam, ex quarta numerus juxta quartam, ex quinta numerus juxta quintam; iterumq; redeatur ad primam tabel-

tabellam, & ex illa exscribatur numerus adscriptus litteræ sextæ secreti, & sic pergatur, donec omnes secreti litteræ exhaustæ fuerint; habebuntur omnes numeri litteras secreti significantes, sed alii quàm in præcedenti paradigmatæ.

At hic quidem modus innumerabiles subire potest mutationes, tum ratione numeri tabellarum assumptarum, tum ratione ordinis ac dispositionis earundem, tum alias ob causas.

## CAPUT XII.

*De usu non vulgari Arcæ Steganographica, & tabellarum in ea reconditarum, quo unum & idem secretum innumeris penè modis tegi potest per numeros loco litterarum adhibitos, ita ut singulis secreti litteris singula Clavis aut Epistola litteræ respondeant.*

**D**iximus supra cap. 3. hujus Classis, initio, duplicem esse usum Arcæ ac tabellarum steganographicarum, vulgarem unum, alterum novum, mirabilem, ac minimè vulgarem. Priorem hæcenus explicavimus; nunc ad posteriorem progredimur. Huic ita præfatur P. Kircherus in sua Polygraphia: *Procedo tandem ad magnum illud & mirabile scribendi secretum, quod tot magnificis verborum ampullis descripsit, tantis sermonum spinis metaphorisq; ab ingratorum hominum accessu muniendum putavit Trithemius; in quo reperiundo tot hucusq; ingeniosissimorum hominum desudavit industria.* Trithemii verba in Polygraphia fol. 64. ad quæ alludit P. Kircherus, dedi ex parte supra cap. I. hujus Classis, §. 4. Notat. 3. & capite 14. sequenti iterum dabo integrè. Afferit in illis Trithemius, se in steganographia sua modum tradidisse secretissimè & sine aliqua suspitione scribendi, ita ut dictiones integræ de re quavis scriptæ dictionibus integris, quas secretas esse volumus, substituantur. Addit, totum mundum invenire non posse secretum arte illâ velatum, etiam si centum quærat annis, & etiam si omnes docti convenirent.

*Arcæ Steganographica  
usus non vulgari,  
quando  
Clavis continet tot litteras, quot secretum.*

Tametsi verò *Blasius Vigenereus* in suo de *Zyphris* Gallicè conscripto volumine, aliique, cum capere non possent *Trithemii* artificium, eum tanquam de re impossibili temerè se jaçantem, carpere non fuerint verecundati; *P. Kircherus* tamen citato loco asserit, ac re ipsâ ostendit, *Trithemium* nihil dixisse (quod quidem hunc scribendi modum concernit) quod veritati non sit consonum. Id ipsum enim quod *Trithemius* promittit, præstat *P. Kircherus* subsidio suæ *Arceæ* & tabellarum *steganographicarum*, per variam earundem tabellarum dispositionem & combinationem, ita ut singulis secreti indicandi litteris, singulæ alicujus sententiæ loco *Clavis* adhibita, aut cujuscunque *Epistolæ* de quacunque; re scriptæ, litteræ respondeant: sive deinde tot, præcisè aut in *Clave*, aut in *Epistola* litteræ contineantur, quot in secreto conceptu sunt, sive plures: semper enim verum erit, litteras singulas unius, singulis litteris alterius, & consequenter dictiones dictionibus respondere; quod *Trithemius* volebat. An verò *Trithemius* hoc ipso *Kircheri* artificio usus fuerit, aut alio, non constat. Quid ego sentiam, dicam cap. 14. sequenti §. 2.

### §. I. Requisita ad hoc Artificium.

Quatuor requiruntur ad hoc artificium; eadem videlicet quæ nos supra cap. 1. hujus *Classis* §. I. requisivimus ad *Cryptographiam* per *Abacum* *Numeralem* traditam olim in *Magia nostra Cryptographica*, ut ibidem diximus.

Primum sunt tabellæ *steganographicæ*, de quarum usu hætenus actum: suntque nihil aliud quàm *Abacus* noster *numeralis*, litteris *Alphabeti* ad numeros additis auctus, & in columnas seu tabellas mobiles dissectus; aut *Tabula steganographica* similiter in columnas seu tabellas dissecta.

Secundum est *Clavis steganographica*, id est, sententia quædam, sive qualiacunque tandem verba manifesta: quæ quia secretum clausum aperiunt, dum per illa in hujus notitiam venimus, *Clavis* nomenclaturam sortiuntur. Vocabimus & sensum manifestum, quia manifestis scribitur verbis, quæ omnes intellegant.

Tertium

Tertium est Secretum, id est, verba quibus occultum animi sensum amico absenti manifestare, aliis verò occultare cupimus, quæ ob id Sensum occultum, & Conceptum steganographicum in antecedentibus appellavimus, & posthac appellabimus.

Quartum est Epistola quædam de quacunque re, aut quilibet de re quapiam Discursus, ad amicum absentem manifestis verbis scriptus; cui Clavis præfigenda est. Potest tamen, ut citato etiam cap. 1. monui, Clavis munere fungi ipsa Epistola, ut ex capite 14. sequenti iterum constabit.

Clavis, sive Sensus manifestus, potest esse, ut dixi, quævis sententia, vel quæcunque verborum periodus, Epistolæ ad absentem mittendæ præfixa, vel prævio correspondenti eidem oretenus tradita, aut per aliam Epistolam transmissa: Cujusmodi esse posset (ait P. Kircherus) hæc: *Salutem in Domino sempiternam: vel, Clarissimo ac Doctissimo Viro Domino Petro Turriano Petronius Catillus salutem.*

Vel, ut Trithemiana methodus magis elucefcatur, pro Clave ponatur paucis verbis concepta Epistola, qualis est illa apud citatum Trithemium in Polygraphia folio 64. *Orote, Amice carissime, ut mutuo mihi transmittas decem florenos cum latore presentium, quia sunt mihi valde necessarii pro constructione cujusdam edificii. Eos tibi fideliter restituam.* Hactenus de requisitis; nunc ad praxin.

## §. II. Praxis artificii adhibitâ Clave steganographicâ, continente præcisè tot litteras, quot Secretum manifestandum.

**P** Praxis institui potest & cum Clave steganographica, & sine illa, ut jam insinuavi. Clavis potest continere tot litteras præcisè, quot secretum indicandum continet, & potest continere pauciores, aut plures. De singulis casibus agemus, ac primùm de primò hîc, de reliquis in sequentibus capitibus.

*Scriptio steganographica cum Clave.*

**S**itigitur amico absentī præscribendum secretò, ope Arcæ ac tabellarum, secretum hoc 26 litteris constans. **CAVE AB EO QUEM HAUD COGNOVISTI**; adhibeaturque sequens totidem litterarum sententia loco Clavis: **SALUTEM IN EO QUI EST VERA SALUS.**

*Secretū.* CAVE AB EO QUEM HAUD COGNOVISTI. *lit. 16.*  
*Clavis.* SALUTEM IN EO QUI EST VERA SALUS *lit. 16.*

*Primò*, exime ex Arcæ receptaculis illas tabellas, quæ litteris suis capitalibus exprimunt litteras Clavis propositæ, nempe tabellam signatam in capite litterâ S, litterâ A, litterâ L, litterâ V &c. usque ad viginti sex, tot videlicet, quot Clavis continet litteras.

*Secundò*, tabellas dispone eodem ordine, unam juxta aliam collocando, quem ordinem habent litteræ secreti, ita ut tabella prima sit S, secunda A, tertia L, quarta V &c.

*Tertiò*, in tabellis dicto modo dispositis quæ relitteras secreti, nimirum in tabella primæ S litteram C, in tabella secunda A litteram A, in tertia tabella L litteram V, in quarta tabella V litteram E &c. & sic de cæteris. Omnes has secreti litteras dispone, tabellas sursum ac deorsum pro exigentia movendo, in unam transversam lineam, ponendo primo loco C, secundo A, tertio V, quarto E, &c. prout in apposito schemate apparet. Quibus factis, singulæ secreti litteræ respondebunt singulis litteris Clavis, ut ex eodem schemate manifestum est.

*Vide Tabellas steganographicas variè combinatas.*

*Quartò*, dispositis hoc modo litteris secreti, exscribe ordine numeros singulis litteris correspondentes, eosque vel scribe in linea transversali, aut perpendiculari. Sic ergo stabunt numeri post litteras Clavis (quæ sunt litteræ capitales tabellarum dispositarum) & ante litteras Secreti.

Poteris



Poteris ad latus singulorum adjicere alios, & *Clav. Num. Secr.*  
 priores signare signo Graduum, posteriores signo  
 Minutorum.

*Quintò*, Numeros solos, prædicto modo in  
 charta descriptos, mitte ad absentem amicum, ap-  
 positâ aliquâ ad rem accommodatâ Epistolâ, in  
 hunc vel similem modum & sensum:

*Salutem ab eo, qui est vera Salus.*

Significabas mihi nuper, Carissime Melander,  
 instantibus precibus, ut tibi transmitterem sola-  
 ris motus numeros in Gradibus & Minutis, quos  
 in Zodiaco conficit, temporis spatio à te in Epi-  
 stola expresso. Quod hisce facio. Unde si inde  
 emolumentum aliquod haurire queas, gaudebo.  
 Si qua in re alia obsequium meum requisiveris,  
 non denegabo. Interim vale, & me amare per-  
 ge. Ex villa suburbana die 12, Maji Anni 1664.

*Lectio steganographica.*

**H**Æc Epistola nullum secretum continet, nec  
 confert quidquam ad Secretum tegendum,  
 detegendum, exceptâ præviâ salute, quæ Clavis  
 officium sustinet, & absentem in secreti notitiam  
 ducit. Hujus itaque Clavis & numerorum trans-  
 missorum subsidio, amicus sic illud deteget.

*Primò*, eximat ex Arca illas tabellas, quæ in capitibus præ-  
 ferunt litteras Clavis, easque eodem ordine in mensa ante se  
 disponat, quo Clavis litteræ sunt dispositæ, atque adeo ut litteris  
 suis capitalibus prædictæ Clavis sententiam referant.

|   |     |   |
|---|-----|---|
| S | 5.  | C |
| A | 6.  | A |
| L | 18. | V |
| V | 22. | E |
| T | 15. | A |
| E | 23. | B |
| M | 6.  | E |
| I | 7.  | O |
| N | 10. | Q |
| E | 19. | U |
| O | 4.  | E |
| Q | 10. | M |
| U | 19. | H |
| I | 20. | A |
| E | 19. | U |
| S | 4.  | D |
| T | 17. | C |
| V | 5.  | O |
| E | 6.  | G |
| R | 13. | N |
| A | 14. | O |
| S | 23. | V |
| A | 9.  | I |
| L | 20. | S |
| V | 24. | T |
| S | 19. | I |

*Secundo*, in tabellis dispositis quærat numeros prædictos ad se missos, nempe in prima tabella numerum 5. in secunda numerum 6. in tertia numerum 18. in quarta numerum 22. &c. & sic de cæteris. Numeros inventos disponat in unam lineam transversalem, ut in præcedenti schemate apparet, movendo sursum ac deorsum tabellas. Litteræ singulis numeris correspondentes erunt litteræ secreti, nempe illæ quas ad latus dextrum perpendicularis lineæ numerorum paulò antè adscripsimus.

Tot ergo secretum habet litteras, quot Clavis, nempe 26. quoniam & hujus & illius litteræ adæquant multitudinem 26. propositos numeros.

### Annotationes.

**I.** *Adem Clavis adhiberi potest ad tegendos plures ac plures secretos sensus habentes litteras numero æquales litteris Clavis, Et vicissim idem secretus sensus tegi potest pluribus ac pluribus sententiis loco Clavis adhibitis, habentibus tot litteras, quot habet secretum.*

**II.** *Artificium hoc capite explicatum, & capite sequenti explicandum, differt ab illo quod explicavimus cap. 9. hujus Classis, quoniam ibi tabellæ sunt disponendæ ordine naturali.*

**III.** *Non est necessarium ad hoc Artificium, ut Clavis tot litteras contineat, quot secretum, ut capite sequenti patebit.*

### Monitio ad Lectorem.

*Quæcunque dixi hoc capite, præstari etiam possunt per Tabulam Cryptographicam indiffectam (quam tradidi supra cap. 1.) quoad substantiam, licet non tam facile.*

## CAPUT XIII.

*Præcedens Artificium adhiberi potest, etiamsi Clavis contineat pauciores litteras, quàm secretum.*

**A**D scribendum ac legendum steganographicè modo explicato in præcedenti capite, per numeros, subsidio Arceæ & tabellarum, non est necessarium ut Clavis contineat præcisè tot litteras, quot secretum, sed potest paucis verbis, imò unicâ voce loco Clavis adhibitâ tegi secretum quantumvis magnum, & multorum verborum. Rem explico sequenti exemplo.

Sint Clavis loco hæc duo verba, **PLURIMA SALUS**, in capite Epistolæ ad amicum missæ; sitque sub illis tegendus hic secretus animi conceptus: *Magnum quid circa te agitur; quare provide tibi in tempore.* Clavis continet 12 litteras, conceptus verò secretus continet quater duodecim litteras, id est, 48. sic procede.

*Plurima salus.* Primò, scribe ante te in charta, aut mensa, Clavem duodecim litterarum, & sub ipsis litteris directè scribe primas duodecim secreti conceptûs litteras, deinde alias duodecim, tertio alias, quartò reliquas duodecim, donec omnes sint subscriptæ ac distributæ, ut apparet in apposito exemplo. Non tamen est necesse ut ultima secreti linea contineat duodecim præcisè litteras, sed possunt esse pauciores, respondentes paucioribus Clavis litteris.

Secundò, selige ex Arca illas duodecim tabellas, quæ in capite præferunt duodecim Clavis litteras, easque ante te colloca eodem ordine, quem litteræ Clavis exhibent, ut nimirum primo loco collocetur tabella P, secundo loco tabella L, tertio V, quarto R &c.

Tertio, in tabellis duodecim ita dispositis, quære primò primas duodecim secreti litteras, easque in unam lineam transversalem

falem ordina, modo in præcedenti capite dicto; & loco litterarum exscribe ordine numeros litteris appositos, uti in appposito hîc *paradigmate* cernis. Deinde quære in iisdem tabellis sequentes duodecim secreti litteras, & illarum loco exscribe numeros.

|     |    |     |     |     |     |     |     |     |     |     |     |
|-----|----|-----|-----|-----|-----|-----|-----|-----|-----|-----|-----|
| P   | L  | U   | R   | I   | M   | A   | S   | A   | L   | U   | S.  |
| M   | A  | G   | N   | U   | M   | Q   | V   | I   | D   | C   | I   |
| 4.  | 7. | 20. | 13. | 24. | 23. | 16. | 23. | 9.  | 4.  | 12. | 19. |
| R   | C  | A   | T   | E   | A   | G   | I   | T   | V   | R;  | Q   |
| 12. | 5. | 14. | 20. | 9.  | 10. | 7.  | 19. | 19. | 18. | 2.  | 10. |
| V   | A  | R   | E   | P   | R   | O   | V   | I   | D   | E   | T   |
| 15. | 7. | 2.  | 2.  | 6.  | 18. | 14. | 23. | 9.  | 4.  | 22. | 24. |
| I   | B  | I   | I   | N   | T   | E   | M   | P   | O   | R   | E.  |
| 7.  | 6. | 18. | 6.  | 8.  | 16. | 5.  | 14. | 15. | 12. | 2.  | 2.  |

Eodem modo operare usque ad finem secreti. Absolutâ operatione stabant numeri, ut in eodem *paradigmate* vides.

*Quartò*, singulas numerorum series describe distinctè, sive in transversalibus, sive in perpendicularibus lineis, & amico absenti transmittè, additâ Epistolâ de quavis re, cujus epigraphæ sint verba, *PLURIMA SALUS*.

Acceptis litteris, amicus ope Clavis & numerorum ita deveniet in cognitionem secreti sub illis latentis.

*Primò*, quoniam Clavis continet duodecim litteras, & singula numerorum series complectuntur duodecim numeros; eximat ex Arca illas duodecim tabellas, quæ in capitibus præterunt litteras Clavis; easque ante se collocet eo ordine, quem Clavis littera ostendunt.

*Secundò*, in tabellis quærat primam numerorum seriem, nempe in tabella P numerum 4, in tabella L numerum 7, in V numerum 20 &c. numerosque repertos ordinet in unam transversam lineam, & litteras numeris adscriptas exscribat; & habebit has litteras, *Magnum quid, ci*. *Secundò*, quærat in iisdem tabellis secundam seriem numerorum, & litteras numeris appositas exscribat; habebitque has litteras, *rcate agitur q*. *Tertiò*, quærat similiter tertiæ & quartæ seriei litteras in tabulis, numerosque correspondentes exscribat; & habebit ex tertia serie numerorum

has

has litteras, *quare provide t.*, ex quarta verò serie has; *ibi in tempore.*

*Tertiò, omnes quatuor litterarum repertarum series scribat continenter unam post alteram, in unam aut duas lineas, easque colliget in voces; & inveniet secretum quod quærit, nempe hoc: Magnum quid circa te agitur; quare provide tibi in tempore.*

#### Annotatio.

**E**X his patet, sub quantumvis parva & paucarum litterarum Clave, posse tegi quantumvis magnum & multarum litterarum arcanum sensum. Item unam & eandem Clavem posse servire pro pluribus secretis tegendis; & idem secretum posse tegi sub pluribus Clavibus.

#### Monitio ad Lectorem.

*Hac quoque, qua hoc capite tradidi, possunt exhiberi, quo ad substantiam (quamvis non tam facile) per Tabulam Cryptographicam indiffectam, capite 1. hujus Classis expositam.*

### CAPUT XIV.

#### *Artificium præcedens exhiberi potest sine Clave*

*Steganographica ab Epistola distincta.*

Quod dixi suprâ capite 1. hujus Classis, Artificium scribendi ac legendi secretè per Tabulam Cryptographicam indiffectam ibi explicatam, non requirere Clavem ab Epistola distinctam, sed ipsam Epistolam posse loco Clavis adhiberi; assero etiam de Artificio præcedentibus duobus capitibus explicato. Potest enim Epistola ad amicum scripta, de re quacunq; adhiberi loco Clavis, sive tot litteras contineat, quot secretum indicandum, sive pauciores, aut etiam plures. Rem paradigmate à Trichemio allato explicemus. Sed priùs ipsa Trichemii verba integra, ut suprâ cap. 12. promisimus, in medium afferamus.

*Arca steganographica  
usus sine  
Clave.*

§. I. Tri-

§. I. Trithemii verba de suo secretè scribendi  
ac legendi artificio.

**S**ic ergo scribit in Polygraphia sua fol. 64. dum explicat quæ in tertio ejusdem Operis libro tractat:

*In steganographia autem locupletiores sunt modi secretissime & sine aliqua suspitione scribendi, ubi non dictio litteram (uti in primo, secundo, tertio, & quarto libro Polygraphiæ suæ docet Trithemius) sed quæque aliam integram ad mysterium convenientem repræsentat dictionem. Cujus rei ponamus exemplum. Ut si velis præmonere amicum de aliquo imminente periculo, sub tali narratione verborum.*

Secretum amico absenti per Epistolam  
significandum.

**C**onspiraverunt in necem tuam Melancius, Tiberius, Joannes, & Petrus famuli Comitum de Asoto, & quartâ die post Laurentii in nocte circumvallabunt domum tuam. Provide quid agas.

Epistola quæ loco Clavis adhihetur.

**H**oc secretum steganographia sic palliat: Oro te, Amice carissime, ut mutuo mihi transmittas decem strenos cum latore præsentium, quia sunt mihi valde necessarii pro constructione cujusdam adificii. Eos tibi fideliter restituum.

*Quis hoc arcanum crederet (pergit Trithemius) aut suspicaretur latere in sermone præscripto? Quod idem sub alia etiam narratione ponamus:*

*Domine JESU Christe, Fili DEI vivi, qui homo fieri, pro nobis pati & mori voluisti: miserere mei peccatoris indigni, nunc & in terribili hora mortis meæ.*

*Ecce jam unam cordis tui occultam sententiam, duplici habes narratione sub steganographia limitibus velatâ sermone brevi, at fideli, quam totus mundus nec suspicari quidem poterit, nec si annis quærat centum, ullatenus invenire, etiam si omnes docti convenirent. Denig, hanc ipsam sententiam cordis tui secretam non solum*

*unâ vel duabus narrationibus præscriptis, sed panè infinitis modis am dicta steganographia docet abscondere, & cui volueris tutissimè, secretissimè, ac securissimè nunciare. Hactenus Trithemius.*

### §. II. Artificium Trithemii, in quo videatur consistere.

Ex his verbis colligi videtur, Trithemii artificium in steganographia sua explicatum, at non pro palatum, non fieri per numeros loco litterarum substitutos, quandoquidem ait fieri *secretissimè, & sine aliqua suspitione*. Deinde ait, quòd in illo *non dictio litterarum, sed quæq; dictio integram ad mysterium convenientem representet et dictionem*: quod tamen in allato paulò antè paradigmate Secreti & Clavis servari non posse videtur, quandoquidem secretum 147. tantum litteras continet, si pro *æ* scribatur *et*; Epistola verò continet 159. litteras, si pro *æ* scribatur *ae*. P. Kircherus ait, hunc litterarum inæqualem numerum delatigasse multorum ingenia, putatumque ab illis, dictam inæqualitatem non posse reddere quod Trithemius promittit, atque adeo artificium non subsistere.

Respondet tamen idem P. Kircherus, inæqualitatem illam nihil officere artificio, & studio à Trithemio adhibitam ad vexanda more ipsi solito curiosorum ingenia; cùm, ut ex dictis patet, non sit necessarium ut clavis litteræ litteris arcani sensûs semper respondeant ad æqualitatem, sed possit clavis nunc deficere, nunc abundare. Si enim abundat, potest arcanus sermo sub illa abscondi, & deinde redeundo ad principium clavis pars altera, tum tertia, donec totum exhauriatur secretum. Quæ quidem vera sunt, si Trithemii praxis coincidit cum praxibus nostris traditis hactenus c. 12. & 13.

### §. III. Trithemii paradigma elucidatur.

SI ponamus Trithemii praxin à praxi præcedentibus capitibus, maximè 12. & 13. traditis non differre; sic ejus paradigma expediri potest.

Q

Pri-

*Primò*, Clavis dividatur in duo, tria, aut quotquot necessarium videbitur membra, quorum quodlibet contineat 20, aut 24. pluresvè aut pauciores litteras.

*Secundò*, eximantur primò ex Arca tot tabellæ, quot litteras continet primum membrum Clavis, & quidem illæ quæ litteras Clavis in capitibus præferunt. Hæ disponantur eodem ordine quo litteræ primi membri Clavis sunt dispositæ. Sint autem tabellæ verb. gr. 20; quarantur in illis primæ 20. litteræ secreti, & illarû loco scribantur in una serie numeri litteris respondentes.

*Tertiò*, eodem profus modo procedatur cum secundo, tertio, & reliquis membris Clavis, reliquisque litteris secreti.

*Quartò*, quoties Clavis est exhausta, & adhuc supersunt litteræ & verba secreti; redi ad principium Clavis, & per ipsius litteras indaga numeros pro residuis litteris secreti, donec & hoc totum exhauriatur.

*Quintò*, finitâ totâ operatione, mitte numeros in diversas series ritè dispositos ad amicum, una cum Epistola quæ Clavis locum sustinet. Hic extrahet primò ex Arca tot tabellas, quot numeros continet prima series; deinde tot, quot secunda series; rum tot quot tertia. In singulis autem operationibus debet adhibere illas tabellas, quæ in capite gerunt litteras singulorum membrorum Clavis seu Epistolæ, eodemque disponere ordine, quo hæ dispositæ sunt. Dispositis tabellis, quæret numeros ad se missos in illis, & exscribet litteras numeris adjunctas in iisdem tabellis.

Sed nolo diutiùs immorari huic rei. Qui intellexit proximè præcedentia duo capita, nullâ difficultate & hoc intelliget.

#### Annotatio.

**S**i tot tabellas quis habet, ut singulis litteris Clavis seu Epistola possit substituere unam, illasq; omnes ante se explicet secundùm litterarum Epistola ordinem; in unicam aut plures transversas lineas disponere potest primò omnes Clavis litteras in tabellarum capitibus repertas; deinde litteras secreti in alia linea aut lineis transversis, si sursum ac deorsum convenienter moveat tabellas. Eodem modo qui legere vult secretum, inveniet numeros ad se missos in una aut pluribus seriebus tabellarum.

## CAPUT XV.

*Arca & tabellarum steganographicarum ope, per  
solas epistolas quacunque lingua scriptas, etiam non intellectas,  
occultos animi sensus alteri manifestare, nullis nu-  
meris transmissis.*

**O**Mnes praxes scribendi occultè, in quibus manifesti nume-  
ri ad absentem transmissi interveniunt, meritò minùs probantur multis, quoniam statim, si intercipientur, suspicionem excitant in intuentibus secreti latentis, ut sæpe jam diximus. Alium ergo modum excogitavit P. Kircherus secretum tegendi, atq; ab omni periculo immunes reddendi Epistolas; nullos numeros absenti transmittendo, sed certa Epistolæ missæ verba certis punctis notando. Fieri id potest per Tabulam Cryptographicam integram atque indiffectam, & multò faciliùs ac jucundius per diffectam in tabellas seu columnas. Priorem modum, à P. Kirchero olim Romæ edoctus, jam dudum tradidi in Magia Cryptographica, seu lib. 1. Par. 4. Magiæ Universalis Syntagm. 4. & suprâ cap. 1. hujus Classis 3. Posterio rem modum tradit P. Kircherus in Polygraphia sua nova, Syntag. 3. cap. 5. ubi proponit illum hifce verbis: *Quomodo hujus artificii ope, per epistolas quacunq; linguâ, quarum etiam imperitus est, & quas ne famâ quidem percepit, quispiam scribere possit; imò quibuscunque peregrinis characteribus, uti Hebraicis, Græcis, Arabicis, Syriacis, Armenicis, Ethiopicis, Sinensibus, & quocunque demum alio characterum genere, ad occultos animi sensus alteri retegendos, nulla numerorum transmissione, uti possit.* Eidem, antequàm explicet, sic præfatur: *Magnum hîc arcanum aperio, quod meritò primùm legentibus paradoxum videri possit: id tamen verum, imò facile esse, paucis expono.* Idem Arcanum calluisse videtur Trithemius, qui in Epistola ad Bostium Carmelitam, quam suprâ cap. 1. citavi, & infrâ Classe 7. Erotemate 1. exhibeo, cùm multa ac mira de steganographia sua dixisset, subjungit: *Possum autem ista omnia docere in omni lingua totius Mundi, quam nunquam audi vi.* Hinc P. Kircherus existimat, Trithemii artificium non fuisse à suo diversum.

Artificium proponam primò P. Kircheri verbis, deinde meis paulò fusiùs ac distinctiùs. Meo autem jure id facio, tum quia illud jam dudum typis evulgavi, ut dixi; tum quia novum illud quod sequenti classe quartâ proponam consentiente atque hortante citato Auctore, sine hoc, si modum operandi novum, facilem, & jucundum per Tabulam steganographicam dissectam in columnas seu tabellas mobiles spectes, explicari atque intelligi nequit.

§. I. Artificii explicatio ex P. Athanasio Kirchero.

**T**otum artificium (ait Kircherus) in hoc consistit, ut quis epistolam, aut discursum ex quocunq; libro quacunq; linguâ impresso describat, positiq; clavi, & arcano sermone numerorum quoque serie inventâ, juxta easdem sermonis quacunq; linguâ descripti litteras certis figuris, sive punctis, sive virgulis distinguat.

Quem discursum correspondens dum accipit, per litterarum virgulis distinctarum numeros tandem in arcana scriptura notitiam venit.

Ut proinde hîc nullâ linguarum peritiâ opus sit, sed sufficit, uti dixi, ut quispiam lingua quacunq; descriptum, aut ex libro peregrina lingua characteribus ve composito, sermonem juxta numerorum seriem distinguat. Sed exemplo id ostendisse sufficiat.

Sit clavis in principio Epistola, seu Discursus, Carissime Theophilacte; secretum vero sermonis sit ut supra, Cave ab eo quem haud nosti, ut sequitur.

Clavis. C a r i s s i m e T h e o p h i l a c t e.  
 Secret. C a v e a b e o q u e m h a u d n o s t i.  
 Numeri 20. 6. 5. 9. 3. 8. 6. 9. 12. 13. 10. 22. 9. 7. 16. 13. 24. 13. 14. 16. 8.

Adverto tamen, numeros hîc positos in Tabellis Kircherianis ex Tabula steganographica supra cap. 2. posita, non respondere omnibus litteris secreti, sed in aliquibus erratum. Reliqui tamen hîc, quoniam P. Kircherus illis utitur in explicacione sua uti jacent, Infra §. 2. dabo correctos ac legitimos. Pergit Kircherus.

Quomodo verò horum numerorum subsidio per dictum quantumcunque diversa lingua discursum, arcanum detegere queas, ostendam. Describatur ex libro quodam Italico, vel Gallico, Hispanico, Germanico, Hebraico, Arabico, Anglico, Belgico, Græco, perinde est, discursus quicumque, qui de quacunque materia indifferenti tractet, ut sequitur.

Hic subjicit Kircherus Epistolam decem diversis linguis exaratum, ut ex illis una quæcunque seligatur à steganographo, & sub ipsa secretum abscondatur per certam quarundam litterarum punctuationem, ut in sequenti Latina Epistola, quam ex omnibus solam hic pono, apparet.

### Carissime Theophilacte.

Plurimum scito me tibi subirasci, qui nolueris mihi commodare librum tuum. Equidem nescio quo meo in te merito id fiat. Nunc enim verò cognovi, quantum me à causâ facturum sis, cum negaveris mihi rem tam exiguam. Verba tua, et animus tuus non videntur mihi bene consentire. Si tu petiisses à me res majoris momenti, nihil ego negassem tibi. Verum profectò illud est, quod vulgò dici consuevit, probandos esse amicos, antequam his opus sit: nam in adversis probare serum est. Mihi verò, satis est, animum spectasse tuum. Vale. Post hanc Epistolam in novem linguas alias translata, ac proposita, pergit Kircherus, & ait.

Hujusmodi Epistolam, cujuscumq; tandem lingue, assumes ad manifestandum ejus ope arcanum sub ea latens. Pone ante te numeros paulo antè propositos, 20. 6. 5. 9. &c. Deinde incipe numerare litteras Epistola, à prima incipiendo ordine consequenter, juxta numerum primum 20; id est, 20. litteris numeratis, sub ultima imprime punctum. Deinde 6. à primo numerâ, & sub eo iterum imprime punctum. RURSUS ab hoc, exclusivè tamen, alias quinque litteras numerâ, & impresso puncto numerâ 9. alias, & puncto impresso procede ad alias ordine litteras Epistole juxta numero-

rum seriem numerandas usq; ad ultimum. Quæ Epistola suis signata punctis, transmittatur ad amicum: qui observata Clave, Carissime Theophilaecte, tabellis in ordinem juxta Clavis litteras dispositis, computabit litteras à principio transmissæ Epistolæ, usq; ad primum punctum; & inventum numerum seorsim reponet. Deinde numerando litteras Epistolæ, inveniet à puncto ad punctum 6. litteras; quas pariter seorsim scribet. Deinde computet ab hoc puncto exclusivè ad alterum litteras; inveniet à puncto ad punctum 5; quem numerum separatim aliis conjunget. Et sic progredietur, usque dum in Epistola nullum ampliùs punctum occurrat; & hanc numerorum seriem reperiet: 20.6.5.9. &c. ut supra.

Hanc itaque numerorum seriem in tabellis juxta Clavis litteras dispositis, in unam lineam transversam adaptet; & litteræ Alphabeti litteris juncta unà ipsi secreta scripturæ sensum manifestabunt.

Hæc P. Kircherus; quæ intelliget, qui intellexerit illa quæ de eodem quoad substantiam artificio scripsimus supra cap. I. hujus classis, ex Magia nostra Cryptographica. Qui nec illa intellexit, Oedipo hinc indiget. Sit igitur

## §. II. Nostra artificii prædicti explicatio.

**A**rtificium versatur & circa scriptionem steganographicam per ipsum, & circa lectionem. Utramque explico. Sed priùs moneo Lectorem, numeros supra à P. Kirchero positos, non correspondere litteris secreti ab ipso positi; ideoque illos correxi ut sequitur paulò post.

### *Scriptio steganographica per prædictum artificium.*

**P**rimò, scribe in capite Epistolæ Clavem supra positam, nimirum, *Carissime Theophilaecte*; eique subjice Epistolam prædictam, more quo aliàs Epistolæ ad absentes mittendæ scribi solent; nempe sic:

*Carif-*

TABELLÆ STEGANOGRAPHICÆ EXPANSÆ.

Pag. 127.

|      |      |      |      |      |      |      |      |      |      |      |      |      |      |      |      |      |      |      |      |      |
|------|------|------|------|------|------|------|------|------|------|------|------|------|------|------|------|------|------|------|------|------|
| C 20 | A 6  | R 17 | I 4  | S 20 | S 20 | I 4  | M 13 | E 4  | T 8  | H 4  | E 4  | O 24 | P 10 | H 4  | I 4  | L 15 | A 6  | C 20 | T 8  | E 4  |
| D 21 | B 2  | S 18 | K 2  | T 24 | T 24 | K 2  | N 22 | F 3  | V 10 | I 2  | F 3  | P 22 | Q 11 | I 2  | K 2  | M 14 | B 2  | D 21 | V 10 | F 3  |
| E 22 | C 3  | T 20 | L 3  | V 23 | V 23 | L 3  | O 12 | G 6  | W 9  | K 1  | G 6  | Q 23 | R 12 | K 1  | L 3  | N 13 | C 3  | E 22 | W 9  | G 6  |
| F 23 | D 4  | V 5  | M 1  | W 22 | W 22 | M 1  | P 20 | H 5  | X 11 | L 3  | H 5  | R 21 | S 14 | L 3  | M 1  | O 12 | D 4  | F 23 | X 11 | H 5  |
| G 24 | E 5  | W 22 | N 8  | X 21 | X 21 | N 8  | Q 19 | I 8  | Y 13 | M 6  | I 8  | S 19 | T 13 | M 6  | N 8  | P 11 | E 5  | G 24 | Y 13 | I 8  |
| H 15 | F 1  | X 19 | O 7  | Y 9  | Y 9  | O 7  | R 18 | K 7  | Z 12 | N 5  | K 7  | T 20 | V 15 | N 5  | O 7  | Q 10 | F 1  | H 15 | Z 12 | K 7  |
| I 6  | G 7  | Y 24 | P 6  | Z 7  | Z 7  | P 6  | S 17 | L 10 | A 15 | O 8  | L 10 | V 18 | W 20 | O 8  | P 6  | R 21 | G 7  | I 6  | A 15 | L 10 |
| K 5  | H 8  | Z 23 | Q 5  | A 8  | A 8  | Q 5  | T 16 | M 9  | B 14 | P 7  | M 9  | W 17 | X 19 | P 7  | Q 5  | S 20 | H 8  | K 5  | B 14 | M 9  |
| L 4  | I 9  | A 1  | R 12 | B 6  | B 6  | R 12 | V 15 | N 12 | C 17 | Q 11 | N 12 | X 16 | Y 18 | Q 11 | R 12 | T 19 | I 9  | L 4  | C 17 | N 12 |
| M 3  | K 10 | B 21 | S 11 | C 5  | C 5  | S 11 | W 14 | O 11 | D 16 | R 10 | O 11 | Y 15 | Z 17 | R 10 | S 11 | V 18 | K 10 | M 3  | D 16 | O 11 |
| N 2  | L 11 | C 4  | T 10 | D 4  | D 4  | T 10 | X 13 | P 14 | E 19 | S 9  | P 14 | Z 14 | A 16 | S 9  | T 10 | W 17 | L 11 | N 2  | E 19 | P 14 |
| O 1  | M 12 | D 3  | Y 24 | E 2  | E 2  | V 24 | Y 21 | Q 13 | F 18 | T 14 | Q 13 | A 13 | B 2  | T 14 | V 24 | X 16 | M 12 | O 1  | F 18 | Q 13 |
| P 19 | N 13 | E 2  | W 16 | F 3  | F 3  | W 16 | Z 11 | R 16 | G 21 | V 13 | R 16 | B 1  | C 1  | V 13 | W 16 | Y 9  | N 13 | P 19 | G 21 | R 16 |
| Q 17 | O 14 | F 9  | X 15 | G 1  | G 1  | X 15 | A 10 | S 15 | H 20 | W 12 | S 15 | C 2  | D 24 | W 12 | X 15 | Z 8  | O 14 | Q 17 | H 20 | S 15 |
| R 18 | P 15 | G 8  | Y 14 | H 18 | H 18 | Y 14 | B 9  | T 17 | I 23 | X 17 | T 17 | D 3  | E 23 | X 17 | Y 14 | A 7  | P 15 | R 18 | I 23 | T 17 |
| S 16 | Q 16 | H 7  | Z 13 | I 19 | I 19 | Z 13 | C 8  | V 19 | K 22 | Y 16 | V 19 | E 4  | F 22 | Y 16 | Z 13 | B 6  | Q 16 | S 16 | K 22 | V 19 |
| T 13 | R 17 | I 6  | A 20 | K 17 | K 17 | A 20 | D 7  | W 18 | L 24 | Z 15 | W 18 | F 5  | G 21 | Z 15 | A 20 | C 5  | R 17 | T 13 | L 24 | W 18 |
| V 14 | S 18 | K 16 | B 19 | L 16 | L 16 | B 19 | E 6  | X 20 | M 1  | A 20 | X 20 | G 6  | H 8  | A 20 | B 19 | D 4  | S 18 | V 14 | M 1  | X 20 |
| W 11 | T 19 | L 15 | C 18 | M 14 | M 14 | C 18 | F 5  | Y 22 | N 3  | B 19 | Y 22 | H 7  | I 7  | B 19 | C 18 | E 3  | T 19 | W 11 | N 3  | Y 22 |
| X 12 | V 20 | M 14 | D 17 | N 15 | N 15 | D 17 | G 4  | Z 21 | O 2  | C 18 | Z 21 | I 8  | K 6  | C 18 | D 17 | F 2  | V 20 | X 12 | O 2  | Z 21 |
| Y 10 | W 21 | N 13 | E 9  | O 13 | O 13 | E 9  | H 3  | A 24 | P 5  | D 23 | A 24 | K 9  | L 5  | D 23 | E 9  | G 1  | W 21 | Y 10 | P 5  | A 24 |
| Z 9  | X 22 | O 12 | F 23 | P 12 | P 12 | F 23 | I 2  | B 23 | Q 4  | E 22 | B 23 | L 10 | M 4  | E 22 | F 23 | H 24 | X 22 | Z 9  | Q 4  | B 23 |
| A 8  | Y 23 | P 11 | G 22 | Q 10 | Q 10 | G 22 | K 24 | C 2  | R 6  | F 21 | C 2  | M 11 | N 3  | F 21 | G 22 | I 23 | Y 23 | A 8  | R 6  | C 2  |
| B 7  | Z 24 | Q 10 | H 21 | R 11 | R 11 | H 21 | L 1  | D 1  | S 7  | G 24 | D 1  | N 12 | O 9  | G 24 | H 21 | K 22 | Z 24 | B 7  | S 7  | D 1  |

*Carissime Theophilacte.*

**P**lurimum scito me tibi subiraſci, qui nolueris mihi commo-  
dare liberum tuum. Equidem nescio quo meo in te merito id  
fiat. Nunc enim verò cognovi, quantum mei causâ facturus  
ſis, cum negaveris mihi rem tam exiguam. Verba tua et animus  
tuus non videntur mihi bene consentire. Si tu petiſſes à me res  
majoris momenti, nihil ego negaſſem tibi. Verum profectò il-  
lud est, quòd vulgò dici conſuevit, probandos eſſe amicos,  
antequam his opus ſit: nam in adverſis probare ſerum eſt.  
Mihi verò ſatis eſt, animum ſpectaſſe tuum. Vale.

*Secundò*, ſcribe ante te in menſa, aut charta, eandem clavem *Vide tabell-*  
diſtinctè, eique ſuppone ſecretum quod ſub Epistoſa abſconde-  
re viſ, & amico indicare, ſic: *las ſtegan-*  
*graphicas,*  
*expaſas.*

*Clavis.* C A R I S S I M E T H E O P H I L A C T E .  
*Secretũ.* C A V E A B E O Q U E M H A U D N O S T I .  
*Numer.* 20. 6. 5. 9. 8. 6. 9. 12. 13. 10. 22. 9. 7. 16. 13. 17. 13. 14. 6. 8. 8.

*Tertiò*, Exime ex Arca tabellas 21. tot nimirum, quot ſunt  
litteræ Clavis: & quidem illas, quarum litteræ capitales ſunt  
C, A, R, I, S, S, I, M, E, T, H, E, O, P, H, I, L, A, C, T, E.

*Quartò*, pone haſ tabellas ante te in menſa, & unam juxta  
aliam collocando diſpone eodem ordine, quo ſe mutuò ſequun-  
tur litteræ Clavis, prout apparet in appoſita Figura.

*Quintò*, in ſingulis tabellis, à prima inchoando, quære  
ſingulas ſecreti litteras eo ordine, quo ſe mutuò ſequuntur, &  
quo illas paulò antè litteris Clavis ſubjectas vides; & inventos  
numeros juxta litteras in Tabellis notatos, ſcribe infra litteras ſe-  
creti, prout factum vides paulò antè. Itaque primam litteram  
Secreti, quæ eſt C, quære in prima tabella, quæ ſimiliter eſt C;

nume-

numerum 20, juxta C notatum in tabella, scribe infra C secreti, uti nos fecimus. Deinde secundam litteram Secreti, quæ est A, quare in secunda tabella, quæ etiam est A; & numerum 6. juxta A notatum in tabella, scribe infra A Secreti, uti fecimus. Rursus tertiam litteram Secreti, quæ est V, quare in tertia tabella, quæ est R; & numerum 5. juxta V notatum in tabella, scribe infra V secreti, uti fecimus. Iterum quartam litteram secreti E, quare in quarta tabella I; & numerum 9. juxta E notatum, scribe infra E. Sic procede usque ad finem tabellarum, & invenies numeros paulò ante à nobis infra secreti litteras scriptos. Non potui clariùs rem explicare.

Quòd si tabellas juxta ordinem litterarum Clavis, ut Num. 3. diximus, dispositas, sursum ac deorsum moveas, donec omnes litteræ Secreti in tabellis repertæ, sequantur se mutuò in una & eadem linea transversali, prout supra in Figura capite 12. posita apparet; habebis in eadem transversali linea omnes numeros antea à nobis infra secreti litteras scriptos.

*Sextò*, juxta numerorum inventorum exigentiam nota in Epistola infra certas litteras puncta, hoc pacto. Quoniam primus numerus est 20, numera in Epistola viginti litteras, à prima post Clavem incipiendo; & sub vigesima, quæ est primum *s* in verbo *subirasce*, nota punctum, ut à nobis factum vides. Iterum quia secundus numerus est 6, numera à puncto jam notato exclusivè alias sex litteras, & sub sexta, quæ est secundum *s* in eodem verbo *subirasce*, nota aliud punctum. R u r s u s quia tertius numerus est 5, numera ab ultimo puncto notato quinq; litteras in Epistola inclusivè, & sub quinta, quæ est *i* in vocabulo *qui*, nota punctum. Eodem prorsus modo procede ulterius operando, & notando puncta sub Epistolæ litteris juxta ductum & exigentiam numerorum prædictorum ex tabellis excerptorum. Epistolam mitte ad amicum.

*Lectio steganographica per prædictum  
artificium.*

**A**Micus ex accepta Epistola, punctisque in illa notatis, sic veniet in cognitionem Secreti sub ipsa latentis.

*Primo*, eximat ex Arca tot tabellas, quot Clavis litteras continet, sed illas quæ dictæ Clavis litteras in capitibus præferunt.

*Secundo*, disponat tabellas in mensâ unam juxta aliam locando, eo modo, ut litteræ capitales exprimant litteras & verba Clavis; hoc est, disponat eodem prorsus modo, quo antea diximus à scribente esse disponendas, & prout in præcedenti schemate apparet.

*Tertio*, numeret litteras Epistolæ acceptæ, à prima usque ad primum punctum: quod quoniam sub vigesima littera notatum est, scribat in charta aliqua, aut in mensâ, numerum 20. Deinde ab hoc primo puncto exclusivè, numeret litteras usque ad secundum punctum infra litteras positum: quod quoniam sub sexta littera positum est, scribat numerum 6. ad dexteram prioris numeri in charta scripti. Rursus ab hoc secundo puncto exclusivè numeret litteras Epistolæ usque ad tertium punctum: quod quia sub quinta notatum est littera, scribat 5. in charta post priores duos jam notatos numeros. Simili modo pergat ulterius usque ad ultimum punctum inclusivè infra notatum, numerando litteras inter unum & alterum proximè sequens notatû punctum, & scribendo numeros. Stabunt ergo numeri, prout paulò antè infra Secretum & Clavem sunt à nobis notati, nempe hoc ordine.

20. 6. 5. 9. 8. 6. 9. 12. 13. 10. 22. 9. 7. 16. 13. 17.  
 C A V E A B E O Q U E M H A U D  
 13. 14. 16. 8. 8.  
 N O S T I

*Quarto*, numeros inventos ac notatos juxta litterarum ac punctorum exigentiam, quærat in tabellis prædicto modo à se dispositis nempe numerum 20. in tabella prima, numerum 6. in tabella secunda, numerum 5. in tabella tertia, numerum 9. in quarta, 8. in quinta, 6. in sexta, 9. in septima, & sic de reliquis: & litteras singulis numeris adjunctas in tabellis, exscribat, ac in voces conjungat; habebitque litteras quas infra numeros paulò antè notavi, & has voces, *Cave ab eo quem haud nosti.*

R

Quòd

Quòd si inventos numeros in tabellis disponat in unam lineam transversam, movendo sursum ac deorsum tabellas, prout in proximè citata capitis 12. Figura apparet: leget uno intuitu totum Secretum ex ipsis tabellis. Neq; hæc potui clariùs explicare:

## C A P U T XVI.

### Annotationes in præcedens Artificium.

**I.** EX dictis apparet, Artificium hoc nequaquam differre quoad substantiam, sed solum quoad modum ac facilitatem, ab illo quod tradidi supra cap. 1. ut consideranti patet: eadem enim omnia quæ P. Kircherus hîc tradit, docuimus loco citato, quoad substantiam scilicet.

**II.** Quoniam nemo non videt, si sub Epistolæ litteris ponantur puncta apparentia, facile quemvis, qui illas inspicit, suspicari latere sub illa arcanum quendam sensum, propter insolitum modum notandi puncta, infra nimirum litteras; servari potest id quod diximus citato c. 1. §. 1. ut nimirum puncta post scriptam Epistolam non atramento, aut alio visibili colore, sed succo aliquo ibi explicato imprimantur; quæ non compareant, nisi Epistola igni admoveatur.

**III.** Non est necessarium adhibere clavem ab Epistola distinctam, sed potest ipsa Epistola, aut prima Epistolæ verba loco Clavis servire, ut notavimus cap. cit. §. 4.

**IV.** Si tamen Clavem adhibere lubeat, eaque sit epigraphe aliqua Epistolæ præmitti solita, ut *Eminentissime Princeps, Clarissime Domine, Reverende in Christo Pater &c.* non est necessarium ut Clavis habeat tot præcisè litteras, quot arcanus sermo qui sub Epistola absconditur: potest enim Clavis deficere, & potest abundare, ut sæpe jam monui. Si deficit Clavis, id est, pauciores litteras continet, quàm Secretum; exhaustâ Clave, reditur ad ejus principium: Si abundat (ut necessariò fit, quando Epistola loco Clavis est; notantur in Epistola tot solum præcisè puncta, quot sensus secretus litteras habet, & cessatur à punctatione.

V. Potest

V. Potest ad hoc artificium adhiberi quævis lingua, siue utatur litteris Alphabeti Latini, siue non: dummodò secretum concipiatur illo idiomate, quod & qui scribit, & qui legere debet, intelligit. Hinc necessarium non est, ut legens intelligat idioma quo scripta est Epistola. Possunt & quævis signa, quivis characteres, quivis numeri loco Epistolæ transmittendæ scribi, & punctis notari; dummodò uterque, scribens dico, & legens, habeant easdem tabellas, seu easdem Tabulas, eodem modo dispositas; & modò concipiatur secretum idiomate quod uterque intelligit.

VI. Potest scribi & legi prædicto artificio (tameñ non tanta cum facilitate, ac jucunditate) sine Arca & tabellis per solam Tabulam steganographicam indiffectam in tabellas, tam illam quàm tradidimus cap. 1. quàm cap. 2. Faciliùs tamen per hanc ultimam. Si enim in capite seu Alphabeto frontali quærantur litteræ Clavis una post aliam; & à littera Clavis in fronte reperta, descendatur usque ad litteram Secreti, numerique adscripti litteris secreti exscribantur; habebuntur numeri secundùm quos notanda sunt puncta in Epistola. Similiter si qui legere vult secretum per Epistolam notatum, quærat in capite Tabulæ litteras Clavis, & descendat usque ad numeros sibi transmissos, & sub litteris capitalibus descendendo notatos; habebit litteras secreti, illas nimirum qui numeris inventis adjuncti sunt. Sed rem præcedenti exemplo dilucidius exponamus.

Sit Clavis ut antea, *Carissime Theophilaete*, Secretum verò, *Cave ab eo quem haud nosti*. Pone ante te Tabulam supra cap. 2. datam, & quære in fronte dictæ tabulæ primam litteram Clavis quæ est C; deinde sub hac littera C, seu in columna quæ litteram C capite præfert, quære primam litteram Secreti, quæ est similiter C: demum numerum 20. ipsi C adjunctum, exscribe, & seorsim pone. Iterum quære in fronte Tabulæ secundam litteram Clavis, quæ est A, & sub A descendendo quære in eadem columna secundam litteram secreti, quæ etiam est A; & numerum 6. ipsi A adjunctum exscribe, & seorsim scribe post priorem numerum 20. Rursus quære in fronte Tabulæ tertiam litteram Clavis, quæ est R; & sub

ipsa descendendo quare tertiam litteram Secreti, quæ est V; & numerum 5. litteræ V adjunctum exscribe, ac seorsim pone post duos priores jam scriptos. Sic procede usque ad finem. Inventis omnibus numeris qui secreti litteris adjuncti sunt in Tabula, & in una serie dispositis, nota puncta sub litteris Epistolæ, modo jam antea explicato, & Epistolam mitte Amico.

Hic acceptâ Epistolâ, ex notatis punctis sic veniet in notitiam Secreti. Numeretâ principio Epistolæ litteras usque ad primum punctum, & inveniet 20. litteras. Scribat ergo 20. seorsim. Iterum numeret litteras à primo puncto exclusivè usque ad secundum inclusivè, & inveniet 6. Scribat ergo 6. seorsim post 20. Denuo numeret litteras à secundo puncto exclusivè, usq; ad tertium inclusivè, & inveniet 5. Scribat ergo 5. seorsim post 20. & 6. Simili prorsus ratione inveniet reliquos numeros. Habitis numeris ordine dispositis, quærat in Tabulæ prædictæ fronte primam litteram Clavis, quæ est C; & in columna C quærat primum numerum antea per puncta inventum, nimirum 20: Littera adjuncta huic numero, nempe C, est prima littera Secreti. Quærat deinde in Tabulæ fronte secundam litteram Clavis, quæ est A; & in columna A quærat secundum numerum, nimirum 6: Littera adjuncta, quæ est similiter A, est secunda secreti littera. Eodem modo ex litteris Clavis in Tabulæ fronte repertis, & ex numeris sub litteris Clavis inventis, veniet in cognitionem reliquarum litterarum Secreti. Hæc Sufficiant.

